*Caroli Henrici Dzondii,*

MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORIS, PROFESSORIS CHIRURGIAE PUBL. ORD., FACULT. MED. ASSESS. ORD. ET SCHOLAE CHIRURG. CLINICAE IN ACADEMIA HALENSI DIRECTORIS,

# DE INFLAMMATIONE

## APHORISMORUM

LIBER PRIMUS.



HALAE,
SUMPTIBUS HEMMERDEANIS.
MDCCCXIV.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

# FRIDERICO L. B. A SCHUCKMANN,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS SUMMO REIPUBLICAE ADMINISTRO, ACADEMIARUM OMNISQUE INSTITUTIONIS PUBLICAE ET RERUM ECCLESIASTICARUM PRAESIDI SUPREMO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI,

OMNIBUS DOCTRINAE ET INGENII DOTIBUS ANIMIQUE VIRTUTIBUS ORNATISSIMO,

SUMMAE VENERATIONIS CAUSA

D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO
## AD MEDICOS.

Trado Vobis, viri peritiſſimi, quibus iudicium de rebus medicis competit, artisque progreſſus curae cordique ſunt, hos de inflammatione aphorismos, non dierum aut menſium, ſed annorum proventus; non opinionum aut vanae ſpeculationis commenta, ſed fidae obſervationis et indefeſſi naturae ſtudii fructus. Trado Vobis, inquam, hos apho-

rismos examinandos, diiudicandos et ad experientiae trutinam expendendos; quod ſi apte, graviter, ſevere et humaniter, ut decet, feceritis, eosque veſtro ſuffragio nos prorſus indignos inveneritis: ampliorem graviſſimi huius argumenti expoſitionem propediem Vobiscum communicare non dubitabo.

Nimirum ea, quae hoc libello expoſui, non niſi primae lineae et quaſi epitome theoriae inflammationis ſunt, quam in ampliori opere uberius et ita tractavi, ut obſervationes et experimenta de natura inflammationis, fundamento loco ponerem, quibus univerſam theoriam ſuperſtruerem, ſingulas-

que partes argumentis, e naturae obſervatione petitis, fulcirem. Verum ſatius duxi iſti operi hos aphorismos praemittere, eo potiſſimum conſilio, ut univerſum argumentum uno quaſi intuitu complecti, faciliusque iudicium ferre poſſitis, quanam parte mancum, aut infirmum ſit, manuque fulciente aut corrigente indigeat. Non ſecus ac providus architecta aedificii deſcriptionem viris artis peritis examinandam tradit, antequam aedificium exſtruendum elocat, ut ea, quae peritiori iudicio minus apta cenſeantur, immutare poſſit.

Quodſi vero forſitan nonnulla a communi opinione abhorrere, aut audacius

enunciata eſſe Vobis videantur, nolite, quaeſo, ea ſtudioſe aut iactanter, aut nconſulto dicta iudicare, cum, quantum quidem fieri potuit, diligenter, ſerio et caute in examinandis his rebus, proponendisque placitis verſatus ſim, ſemperque naturae veſtigia legerim et nil niſi verum quaeſierim.

Intelligitis autem, viri peritiſſimi, plenum quidem et abſolutum hac de re iudicium non niſi ab iis ferri poſſe, qui aut, pro ſagacitate, qua pollent, argumenta, quae deſunt, ſupplere potuerint; aut pro naturae cognitione, quam uſu et experientia acquiſiverunt, ea uberius iam experti ſint et penitus cogno-

verint; aut qui omnem argumenti ambitum experientia ſuperſtructum, ex ampliori expoſitione, a nobis exhibenda, intellexerint.

Verum enimvero utcunque haec ſe habeant, ſpero tamen fore, ut, ſi ea, quae ſuccincte et carptim, et quaſi ſpeciminis inſtar hic propoſui; praevio veſtro iudicio a natura non prorſus abhorrere videantur: ea diligentiore expoſitione magis confirmentur, nec non ad penitiorem morborum cognitionem, et omnino ad amplificandam, ſtabiliendam et exornandam artem medicam aliquid contribuiſſe videantur.

Caeterum primum hunc aphorismorum librum, qui de inflammatione generatim exponit, alter de diverſis inflammationum formis conſequetur, poſteaquam, audito Veſtro iudicio, uberiorem expoſitionem huius prioris Vobiscum communicavero. Valete.

Scribebam in Univerſitate literarum Halenſi, menſe Februario anni MDCCCXIV.

*Dzondi.*

# DE INFLAMMATIONE

## APHORISMORUM

### LIBER PRIMUS.

# DE
# INFLAMMATIONE IN GENERE
# APHORISMI.

## Caput primum.
## DE NOTIONE INFLAMMATIONIS.

§. 1.

Inflammatio eſt vox metaphorica, qua inſignitur morbus tribus ſtadiis decurrens, cujus natura conſiſtit in abnormi functione ſyſtematis plaſtici, quod ſtimulo incitatum, ad generandas novas, easque abnormes materias tendit.

§. 2.

Inflammatio ſimilis eſt vegetationi plantae, quae e ſemine orta, creſcit, floret, matureſcit, ſeminaque profert, ſemini, e quo orta erat, prorſus ſimilia.

§. 3.

Omnis inflammatio ſecundum figuram ſphaericam ſerpit, et in omnes partes extenditur.

§. 4.

Omnis inflammatio eſt vita ſeu vegetatio nova, peregrina, in ſphaera propria ſumtibus organismi vigens; vita paraſitica. (*Ein Afterleben, Schmarotzerleben.*)

§. 5.

Omnis inflammatio in ſyſtemate plaſtico exoritur; ita enim appellandum videtur ſyſtema vaſorum inter arteriarum fines et venarum origines, in quo totum inſtaurationis negotium peragitur.

§. 6.

Quodcunque generatur in organismo, ope ſyſtematis plaſtici generatur.

§. 7.

Materiam, qua ſyſtema plaſticum ad regenerandum organismum utitur, e ſanguine, arteriarum ope advecto, haurit, vires a nervorum ſyſtemate accipit.

§. 8.

Quo major eſt nervorum et ſanguinis in organismo aut organo quodam vigor, eo magis in eo viget ſyſtema plaſticum, et vice verſa.

§. 9.

Syſtema plaſticum in omnibus vel minimis organismi partibus viget; in aliis maiore, in aliis minore robore pollens.

§. 10.

Syſtema plaſticum in univerſum ſibi conſtat, in qualibet vero organismi parte peculiari modo viget, diverſasque, pro conformationis viriumque diverſitate, materias generat.

§. 11.

Quando ſyſtema plaſticum abnormi ſtimulo excitatur, eius functiones abnormi modo vel augentur vel mutantur, id eſt: inflammatio oritur.

§. 12.

Absque ſtimulo nulla eſt inflammatio.

§. 13.

Per incitationem ſtimuli abnormis efficitur ut materiae, quas ſyſtema plaſticum pro ratione functionis ſuae generat, abnormes et vitioſae evadant.

§. 14.

Omnis inflammatio ad generandas novas easque abnormes materias tendit.

§. 15.

Novae, eaeque abnormes, materiae per inflammationem non niſi tum formantur, cum illa decurſu per ſtadia facto rite abſolvitur.

§. 16.

Nova materia abnormis per proceſſum inflammationis genita, effectum ſ. proventus inflammationis dicitur: (*das Product*).

§. 17.

Effectum inflammationis continet ſemen qua ſimilis inflammationis proceſſus in alio organismo excitari poteſt, i. e. contagium.

§. 18.

Hic proventus, hoc effectum, eſt contagium. Contagium eſt proventus et ſemen inflammationis.

§. 19.

Non eſt contagium niſi inflammatione genitum.

§. 20.

Differt contagium a miasmate.

§. 21.

Omnis inflammatio per contagium, per femen fuum propagari proteft, feu quod idem eft: omnis inflammatio, favente opportunitate, inficere poteft. (*Jede Entzündung fteckt an.*)

§. 22.

Omnes morbi contagiofi inflammationes funt, et omnes inflammationes morbi contagiofi funt.

§. 23.

Omnis infectio fit per inflammationem, fedemque in fyftemate plaftico habet.

§. 24.

Inflammatio eft abnormis fyftematis plaftici functio, qua ftimulo abnormi incitatum, ad generandam novam materiam eamque pro ftimuli ratione abnormem tendit, per tempus definitum tribus ftadiis abfolvendam.

§. 25.

Inflammatio eft vita, f. vegetatio pfeudoplaftica, parafitica.

§. 26.

Ad generandas novas e fanguine materias, electricitatis phaenomena non parum contribuere videntur.

## Caput secundum.

## DE VARIIS INFLAMMATIONIS GENERIBUS.

§. 27.

Natura inflammationis una eademque eſt, quatenus omnis inflammatio abnormi conſtat functione ſyſtematis plaſtici, ſtimulo ad generandas novas easque abnormes materias excitati.

§. 28.

Inflammatio natura ſua ſemper eadem, varia ratione dividi poteſt.

### 1. *Ratione cauſae.*

§. 29.

Primariae inflammationis claſſes ratione cauſae, e qua oritur, quae poteſt eſſe aut quantitate aut qualitate diverſa, definiuntur.

#### a. *Inflammationes quantitativae.*

§. 30.

Inflammatio quantitativa ea eſt, quae ſtimulo oritur ratione quantitatis abnormi, id eſt, iuſto plus incitante, v. c. frictione, aqua fervida, etc.

§. 31.

Omnes organiſmi partes, omnia eius ſyſtemata et organa inflammatione quantitativa corripi poſſunt.

§. 32.

Quaelibet inflammatio huius claſſis duplici ratione in organismo oriri poteſt; nimirum ſtimulo

peculiari; ſive quod idem eſt: contagio; aut ſtimulo communi, ſive quod vulgo dicitur: ſua ſponte.

§. 33.

Ex uno eodemque ſtimulo communi, v. c. transſpiratione ſuppreſſa, variae naſci poſſunt inflammationes quantitativae.

§. 34.

Proventus inflammationum huius claſſis ſemina continent, e quibus ſimiles inflammationes in aliis organismis naſci poſſunt, v. c. e pure, ſudore, muco.

§. 35.

Inflammationes quantitativae ſimulatque exortae ſunt, ſtatim extingui poſſunt.

§. 36.

Inflammationis quantitativae tot ſunt ſpecies, quot diverſa organismi ſyſtemata ſunt.

§. 37.

Quaelibet harum inflammationum ſuis ſymptomatibus, ſuo decurſu, ſuo effecto ab omnibus aliis huius claſſis diverſo diſcrepat. v. c. Inflammatio nervorum, vaſorum ſanguiferorum, lymphaticorum, exhalantium, reſorbentium, membranarum ſeroſarum, mucoſarum etc. etc.

§. 38.

Syſtema quippe plaſticum in quolibet ſyſtemate peculiari modo conformatum et ad diverſas materias generandas aptum, in ſtatu abnormi, inflamma-

tionis fcil. et generatione materiae abnormis analogiam typumque nativum fyftematis, cui inhaeret, fequitur. Membranae ferofae inflammatae nunquam mucum, neque mucofae pus generant.

§. 39.

In uno eodemque organo plures inflammationes quantitativae fimul adeffe poffunt. v. c. In inteftinis aut membranae ferofae, aut mucofae, aut mufculares, aut nervi, aut vafa fanguifera aut lymphatica etc. inflammata effe poffunt fimul, aut unum horum fyftematum.

§. 40.

Si plura eiusdem organi fyftemata inflammantur, inflammatio ab uno ad alterum tranfiit, aut plura fimul invafit. v. c. Inflammatio vaforum mucum gignentium ad ftructuram fibrofam membranarum interdum tranfit mucumque pure miftum generat.

*b. Inflammationes qualitativae.*

§. 41.

Inflammatio qualitativa ea eft, quae e ftimulo nafcitur vires organicas fyft. plaftici prorfus immutante. v. c. inflammatio variolofa, peftis etc.

§. 42.

Inflammationes qualitativae non nifi e contagio nafcuntur.

§. 43.

Non omnes inflammationes qualitativae in omnibus partibus et fyftematibus organismi oriri poffunt.

§. 44.

Inflammationes qualitativae aut unum ſyſtema vel organon, aut plura ſimul invadere poſſunt.

§. 45.

Quo magis discrepat ſtimuli ſeu contagii natura ab natura organismi cui inſeritur, eo vehementior eſt inflammatio inde naſcens.

§. 46.

Inflammationes qualitativae quae univerſum ſyſtema nervoſum afficiunt, (febre conjunctae ſunt) ſalva ſalute organismi non ſtatim ſimulac exortae ſunt, extingui poſſunt.

§. 47.

Eaedem inflammationes organismum vel ad tempus vel in perpetuum ab iterato eiusdem aut ſimilis contagii impetu tutum praeſtant.

§. 48.

Inflammationes qualitativae cum univerſali affectione ſyſtematis nervoſi non coniunctae, ſaepius eum invadere poſſunt.

2. *Ratione nexus cum cauſa.*

§. 49.

Ratione nexus cum cauſa inflammationes duplicis generis ſunt, primariae et ſecundariae.

§. 50.

Inflammatio primaria ſive idiopathica ea eſt, quae non ex alia inflammatione, ſed directe e propria cauſa oritur.

§. 51.

Inflammatio fecundaria five fympathica ea eft, quae ex alia inflammatione per fympathiam, confenfum aut propagationem oritur. v. c. Inflammatio iridis propagatur ad fcleroticam, corneam, coniunctivam etc.

§. 52.

Inflammationes primariae et fecundariae in iisdem aut diverfis organismi partibus locum habere poffunt.

§. 53.

Abfolutis primariis fecundariae adhuc durare poffunt.

### 3. *Ratione coniunctionis.*

§. 54.

Ratione coniunctionis inflammationes aut fimplices, aut complicatae aut fimultaneae funt.

§. 55.

Inflammatio fimplex ea eft, quae non nifi ex una caufa nafcitur et in uno fyftemate viget.

§. 56.

Inflammatio complicata in uno quidem fyftemate continetur, verum non ab una, fed duabus aut pluribus caufis oritur. v. c. inflammatio fcrophulofo-fyphilitica.

§. 57.

Inflammationes fimultaneae in diverfis fyftematibus locum habent, a caufis iisdem aut diverfis na-

tae. v. c. inflammatio mufculorum, tendinum, periostii et offis a vulneratione.

§. 58.

Inflammationes fimplices in complicatas et fimultaneas, et vice verfa hae in illas immutari poffunt.

4. *Ratione ambitus.*

§. 59.

Ratione ambitus inflammationes aut univerfales aut locales funt.

§. 60.

Inflammationes locales eae funt, quae in hac vel illa organismi parte fine affectione univerfi fyftematis nervorum et fanguinis decurrunt.

§. 61.

Inflammationes univerfales eae funt, quae partem aliquam aut univerfum fyftema organismi occupantes, fimul univerfum fyftema nervorum et fanguinis per confenfum, fympathiam aut propagationem afficiunt.

§. 62.

Inflammationes univerfales vulgo febres dicuntur.

§. 63.

Febris non eft morbus, fed coniunctio fymptomatum, (*eine Symptomengruppe*) inflammationem univerfalem indicans.

§. 64.

Ubi inflammatio univerſalis, ibi febris, et ubi febris, ibi inflammatio univerſalis aut ſtimulus inflammatorius univerſalis.

§. 65.

Febris nunquam ſine inflammatione aut ante inflammationem, verum cum ea aut cum ſtimulo ſimul adeſſe poteſt; ſymptomata enim morbi eum non antecedunt ſed comitantur.

§. 66.

Doctrina de febribus, quippe quum ſint mera inflammationum univerſalium ſymptomata, proprium in pathologia locum tueri non poteſt, ſed cum doctrina de inflammationibus coniungenda eſt.

5. *Ratione typi.*

§. 67.

Ratione typi inflammationes ſunt aut continentes, aut remittentes, aut intermittentes.

§. 68.

Inflammationes continentes uno tenore ſine interruptione aut remiſſione regulari per ſtadia decurrunt.

§. 69.

Inflammationes remittentes decurſum ſuum per ſtadia ita abſolvunt, ut ſubinde ſymptomata mitiora oſtendant.

§. 70.

Inflammationes intermittentes ſ. periodicae, decurſu ſuo, per ſtadia rite et uno tenore finito, poſt

aliquod tempus redeunt et rurſus in eodem ſyſtemate eadem ratione decurrunt.

§. 71.

Inflammationes intermittentes ſaepius et utplurimum definito tempore redire ſolent.

§. 72.

Intermiſſionis haec ratio eſſe videtur: abſoluto inflammationis decurſu, ſtimulus aut remanens aut denuo genitus ſyſtema plaſticum organi áffecti rurſus irritat ſimulatque illud per ſenſibilitatem, priori inflammatione exhauſtam, fieri poteſt.

6. *Ratione exitus.*

§. 73.

Ratione exitus inflammationes in definitas aut infinitas dividi poſſunt.

§. 74.

Inflammatio definita ea eſt, quae decurſum ſuum per ſtadia ita abſolvit, ut revera finita ſit.

§. 75.

Inflammatio infinita ea eſt, quae decurſu per ſtadia abſoluto aut ne abſoluto quidem prorſus, ſemine ſ. contagio, quod ipſa genuit, denuo excitatur. v. c. ſyphilis, pſora, herpes etc.

§. 76.

Inflammationes infinitae propagantur vel in eadem parte vel in vicinis partibus; illas ſtabiles, has ſerpentes nominare convenit.

§. 77.

Differunt inflammationes infinitae ab intermittentibus eo, quod hae certum tempus, ab inflammatione prorſus liberum, organismo concedant, illae continuo, et ita eum afficiant, ut omnes tres periodi ſimul adſint. v. c. herpes, inflammatio canceratica occulta.

7. *Ratione proventus,* (*des Productes.*)

§. 78.

Ratione proventus (*des Productes*) inflammationes varie dividi poſſunt, qua de re conferatur caput ſequens.

§. 79.

Aliae inflammationum diviſiones v. c. in *regulares* et *irregulares; acutas* et *chronicas: ſthenicas* et *aſthenicas;* et illas, quae ſecundum organa fieri ſolent, notiſſimae ſunt, ſufficitque eas hic nominaſſe.

---

## Caput tertium.

## DE STADIIS INFLAMMATIONUM.

§. 80.

Tria ſunt ſtadia, per quae omnis inflammatio, quae curſum ſuum abſolvit, decurrit.

§. 81.

Stadium prodromorum et convaleſcentiae non pertinent ad morbum ipſum.

§. 82.

Periodi inflammationum hae ſunt: primum ſtadium, phlogiſticum ſive floris; ſecundum ſtadium,

plaſticum, ſive maturitatis; tertium ſtadium, criticum, ſive ſementis. Haud ſecus ac planta floret, ſemen maturat atque proiicit.

§. 83.

Haec ſtadia pro inflammationum diverſitate diverſa ſunt; magis aut minus conſpicua; longiora, breviora etc.

§. 84.

Decurſus horum ſtadiorum poteſt eſſe vel regularis vel irregularis, quod a cauſis internis et externis pendet.

§. 85.

In nonnullis inflammationibus una aut altera harum periodorum tam rapide decurrit, ut non niſi oculo quam maxime attento obſervari poſſit.

§. 86.

Stadia haec in nonnullis inflammationibus ſalva organiſmi ſalute, arte aut caſu interrumpi aut contrahi poſſunt, in aliis vero non item. Illud v. c. fieri poteſt in typho, rheumatiſmo, catarrho etc.; neutiquam vero in variolis, morbillis etc.

§. 87.

In quibusdam haec lex obtinet: ſi prima periodus regulariter aut cum vigore decurrit, ſecunda etiam per ſtatum tempus decurrat neceſſe eſt, ſin minus, ſaluti organiſmi periculum minatur.

§. 88.

Stadia plurimarum inflammationum per certum et definitum tempus decurrere ſolent; nonnul-

larum vero ſtadia certis limitibus circumſcripta eſſe non videntur.

§. 89.

In nonnullis inflammationibus non niſi unum horum ſtadiorum in parte quadem organismi adeſt; in aliis omnia ſimul in eadem parte adſunt. v. c. in phthiſi, herpetibus. Veluti in plantis, quae iisdem in ramis flores et fructus gerunt.

§. 90.

Cuilibet inflammationi proprius eſt decurſus, peculiaribus tribus ſtadiis ab omnibus aliis, aliarum inflammationum ſtadiis, differens.

§. 91.

Quodlibet ſtadium inflammationis cuiuslibet propriis ſuis ſymptomatibus inſignitur, quibus ab omnibus aliis dignoſci poteſt. Quae ſymptomata in quolibet ſtadio in univerſum ſimilia in diverſis vero inflammationibus ita ſunt definita et temperata, ut non modo quaelibet inflammatio in genere, ſed etiam quaevis ſpecies in quolibet ſtadio accurate ab aliis diſtingui poſſit.

§. 92.

Symptomata primi et ſecundi ſtadii ſaepiſſime ſibi invicem oppoſita eſſe ſolent.

1. *Primum ſtadium.*

§. 93.

Primum inflammationis cuiuscunque ſtadium *phlogiſticum* ſeu *floris* appellandum eſſe vide-

detur, conſpicuum enim eſt phlogoſi quadam et ſignis inflammatoriis ſenſu ſtrictiore ſic dictis. Floret hoc ſtadio inflammationis ſemen non ſecus ac planta, praeparatque fructum, ſecundo ſtadio maturandum.

§. 94.

Hoc ſtadium non a primo infectionis momento, ſed ab inflammationis prima origine ad momentum usque durat, quo ſymptomata initium ſecundi ſtadii, et formationis materiae novae indicant.

§. 95.

Tempus quo decurrit, modo brevius, modo longius eſt pro natura inflammationis. In acutis interdum tam rapide decurrit, ut breviſſimo temporis momento finiatur; extenditur vero etiam ad tres, ſeptem et novem dies.

§. 96.

Diverſitas durationis huius ſtadii partim a natura inflammationis, partim ab organismo, partim a rebus externis pendet.

§. 97.

In hoc ſtadio ſyſtema plaſticum, ſtimulo abnormi, incitatum maiori et mutata vi agit, ſanguinisque ope arteriarum advectam maiorem copiam ita mutare incipit, ut novas ex eo generandas et quaſi componendas materias praeparet.

§. 98.

Omnes res, quae irritationem augent, inflammationem augent, et vice verſa.

§. 99.

§. 99.

Omnia quae vim et actionem ſyſtematis vaſorum augent, inflammationem augent, et vice verſa

§. 100.

Suppreſſa inflammatione in hoc ſtadio, ſupprimitur quoque proventus ejus, ſive nova materia inflammatione generanda.

§. 101.

Infectio in hoc ſtadio locum non habet. Hoc valet de omnibus inflammationibus. v. c. de typho, variolis, ſcarlatina, etc.

§. 102.

Symptomata huius ſtadii in tribus potiſſimum ſyſtematibus, quae ab inflammationibus affecta ſunt, conſpiciuntur, nimirum in ſyſtemate plaſtico, nervorum, ét ſanguinis.

§. 103.

Caetera ſyſtemata non raro per conſenſum et ſympathiam afficiuntur.

§. 104.

Nullum ſymptoma pure et unice ad hoc vel illud ſyſtema pertinet; nullumque ſemper adeſt.

§. 105.

Cuiuslibet ſyſtematis ſymptomata vel localia vel univerſalia ſunt.

### 1. *Symptomata ſyſtematis plaſtici.*

#### a) Rubor.

§. 106.

Rubor, frequens inflammationis ſignum, non tam e congeſtione aut plethora ſanguinis in arteriis aut venis quam in vaſis capillaribus oritur, quae cum ad ſyſtema plaſticum pertineant, huic ſyſtemati potiſſimum hoc ruboris ſymptoma attribuendum eſſe videtur.

§. 107.

Varii ſunt gradus ruboris, qui quidem non in univerſum, verum tamen in quibusdam inflammationibus vehementiae aut lenitatis ſigna ſunt.

§. 108.

Rubor hic pro diverſitate inflammationis et ipſe variatur. In aliis v. c. roſeus in aliis violaceus eſt etc.

§. 109.

Varietas ruboris a natura inflammationis, a conſtitutione organismi et a natura partis inflammatae pendet.

§. 110.

Rubor adeſſe poteſt, licet non in oculos incurrat.

#### b) Tumor.

§. 111.

Tumor, ſignum inflammationis, oriundum ex affluxu ſanguinis et accumulatione humorum circum punctum et ſedem inflammationis per incitationem et immutatam ſyſtematis plaſtici functionem facta

ad hoc potiſſimum ſyſtema pertinet, cuius incitatione ſanguis et humores in ipſo accumulantur.

§. 112.

Quo laxior ſtructura partis inflammatae et adiacentium partium eſt, eo maior eſt tumor, et vice verſa.

§. 113.

Tumoris varia eſt natura et forma, quae a natura inflammationis et organismi pendet, v. c. auctus turgor vitalis.

§. 114.

Magnus tumor in genere quidem non eſt ſignum inflammationis vehementis, in ſpecie tamen eſſe poteſt.

§. 115.

Tumor adeſſe poteſt, licet non poſſit animadverti.

§. 116.

Tumor nova inflammationis augendae cauſa fieri poteſt, v. c. in encephalitide.

c) Secretiones et excretiones naturales imminutae, ſuppreſſae, aut mutatae.

§. 117.

Imminutio, ſuppreſſio et mutatio ſecretionum et excretionum naturalium ex irritatione ſyſtematis plaſtici derivanda eſt, quippe quod ad praeparandam novae materiae formationem humores non modo allicit, verum etiam oſcula vaſorum ſecernentium abnormi irritatione per conſenſum claudit, aut functiones eorum mutat.

§. 118.

Quo maior eſt inflammationis vehementia et ambitus, eo maior et latior eſt haec ſuppreſſio et mutatio.

§. 119.

Iſta ſuppreſſio et mutatio aut continua eſt, aut intermittens.

§. 120.

Hae ſecretionum et excretionum mutationes cum immutationibus earum, quae in tertio ſtadio per criſin fieri ſolent, non confundendae ſunt.

2. *Symptomata ſyſtematis nervorum.*

a) Calor.

§. 121.

Caloris ſymptoma, omnium maxime conſtans licet non ſemper adſit, ex alacriori vita partis inflammatae et ſanguinis adfluentis copia oriundum, quoniam ſenſu nititur, ad nervorum ſyſtema pertinet.

§. 122.

Varii ſunt caloris gradus et ſpecies, v. c. calor mordax.

§. 123.

Diverſi caloris gradus eiusdem inflammationis generis et ſpeciei diverſos vehementiae gradus indicant.

§. 124.

Minor ab initio caloris gradus augetur progrediente inflammatione et appropinquante ad ſtadium ſecundum.

b) Dolor.

§. 125.

Dolor ſymptoma primi ſtadii inflammationis minus conſtans ad nervorum ſyſtema pertinet.

§. 126.

Quo maior ſanguinis affluxus eſt, et quo minus pro conformatione partis inflammatae et partium vicinarum, liberum ſanguini affluenti et humoribus accumulatis ſpatium conceditur, eo maior dolor eſt, et vice verſa.

§. 127.

E vehementia doloris vehementiae gradus inflammationis in univerſum diiudicari non poteſt.

§. 128.

Senſus doloris varius eſt et diverſus pro inflammationum diverſitate. Quaelibet inflammatio peculiari dolore inſignitur et dignoſcitur.

c) Senſibilitas aucta.

§. 129.

Senſibilitas aucta, ſymptoma quam maxime conſtans primi ſtadii inflammationis, eo magis conſpicua eſt, quo magis in parte inflammata ſyſtema nervorum viget.

§. 130.

Haec ſenſibilitas aucta oritur ex aucta per inflammationis ſtimulum ſympathica irritatione ſyſtematis nervoſi.

§. 131.

A ſenſibilitate aucta ex parte pulſus frequentia pendet, cfr. §. 145.

§. 132.

Diſtinguendum eſt inter ſenſibilitatem auctam et energiam ſyſtematis nervoſi; illa adeſſe, haec abeſſe poteſt, v. c. in primo ſtadio typhi.

d) Senſus communis (coenaestheſis) mutatus.

§. 133.

Senſus communis (coenaestheſis) ſive ſenſus quo perfuſus eſſe ſolet organismus, qui bene ſe habet, eo magis immutatus eſt, quo latius ſerpit inflammatio.

§. 134.

Oritur iſte ſenſus e turbata per ſtimulum inflammationis functione ſyſtematis nervoſi.

§. 135.

Senſus ille accurate deſcribi non poteſt; huc pertinent vero capitis ſtupor, ſenſus inſueti, frigus, horripilationes cum calore volatili alternantes, artuum gravitas et languor, deſidia, appetitus imminutus, ſitis aucta, ſomnus inquietus, digeſtio turbata, deliria etc.

3. *Symptomata ſyſtematis ſanguiferi.*

a) Congeſtio ſanguinis.

§. 136.

Congeſtio non communi quaſi impetu totius ſanguinis copiae ad inflammatam partem ruentis, ſed ita fieri ſolet, ut ſtimulo abnormi in partis affectae ſyſtemate plaſtico per conſenſum arteriarum potiſſimum actio ita augeatur, ut maiorem ſanguinis quantitatem advehant, ipſaque vaſa alias lympham vehentia, ſanguine repleant.

§. 137.

Non ſtagnatio, ſed uberior et rapidior circulatio in parte inflammata in hoc ſtadio locum habet.

§. 138.

Cum omnis inflammatio (quantum fieri poteſt) ad figuram ſphaericam tendat; in centro, ſede quippe contagii ſeu ſtimuli inflammationis, congeſtio maxima eſt et ad extremas ſphaerae oras ſenſim decreſcit et deſinit.

§. 139.

Orgasmus totius ſanguinis congeſtionem localem auget.

§. 140.

Quo magis ſyſtema ſanguiferum in aliqua parte viget, eo maior ad eam ſanguinis congeſtio eſt, quando inflammatur.

b. Mutatio ſanguinis.

§. 141.

Sanguis primo inflammationis ſtadio, ope ſyſtematis plaſtici ita mutatur, ut indolem phlogiſticam ſ. inflammatoriam induat; primum quidem in parte inflammata, poſtea vero, ſi maior et amplior eſt inflammatio, in univerſo organismo.

§. 142.

Indoles phlogiſtica ſanguinis eſt eius abnormitas, qua ad ſolutionem in partes ſuas conſtituentes pronus, aptiorque fit ad ineundas novas coniunctiones formandasque novas materias.

§. 143.

Sanguis hanc indolem phlogiſticam induit transeundo per partes inflammatas, in quibus tanquam in fabrica ope ſyſtematis plaſtici abnormiter agentis, ita mutatur eamque indolem acquirit, quam

recurrens per vafa et cor cum univerfa fanguinis copia communicat.

§. 144.

Quo maior in organo fanguinis abundantia eft, quo rapidius in eo circuit in ftatu fano, eo citius, fi inflammatur illud organon, fanguis in univerfo organismo indolem phlogifticam adipifcitur.

§. 145.

Sanguis ita mutatus ad mutandam actionem cordis et vaforum contribuit.

c) Pulfus immutatio.

§. 146.

Pulfus per inflammationem in ftadio primo varia ratione mutatur, frequentiffimae vero eius mutationes cernuntur in maiori vehementia, celeritate et frequentia.

§. 147.

Haec pulfus immutatio oritur tum ex affectione fyftematis nervofi per ftimulum inflammationis, quod per confenfum f. fympathicum fyftema vaforum afficit; tum e mutata fanguinis indole, qua cor et vafa abnormi ratione irritantur.

§. 148.

Haec mutatio pulfus poteft effe localis et univerfalis, quod valet de omnibus aliis inflammationum fymptomatibus, pendetque a natura et ambitu inflammationis.

§. 149.

Gradus mutationis diverfus eft, et a natura inflammationis pendet.

## II. *Secundum ſtadium.*

§. 150.

Secundum inflammationis ſtadium *plaſticum* ſive maturitatis ſtadium appellandum eſt, quoniam nova materia, tamquam effectum (*das Product*) inflammationis in eo formatur.

§. 151.

Hoc ſtadium durat á primo formationis novae materiae momento usque ad perfectionem eius et initium criſeos.

§. 152.

Tempus, per quod hoc ſtadium durat, pro natura inflammationis brevius aut longius eſt, et a breviſſimis temporis momentis ad tres, ſeptem et novem dies in acutis, in chronicis etiam diutius durat.

§. 153.

Cuilibet inflammationi peculiaris ſtadii huius decurſus ratione temporis et ſymptomatum competit.

§. 154.

In hoc ſtadio infectio ſive translatio ſeminis inflammationis ſ. contagii ad alium organismum locum habet. In aliis inflammationibus magis ab initio huius ſtadii, in aliis magis ſub finem.

§. 155.

In inflammationibus infinitis hoc ſtadium ſimul cum primo in eadem parte decurrit.

§. 156.

Si primum ſtadium vi quadam abſolutum eſt, ſecundum in multis inflammationibus ſalvo organismo non poteſt ſupprimi aut contrahi.

§. 157.

Si inflammatio in ſtadio ſecundo vel caſu vel arte, ratione incongrua ſupprimitur, proventus eius (*das Product*) ad maturitatem perfectam pervenire non poteſt.

§. 158.

Omnes res, quae organismum debilitant viresque eius frangunt, huic ſtadio utplurimum non conveniunt.

*Symptomata ſecundi ſtadii.*

§. 159.

Symptomata huius ſtadii in iisdem potiſſimum ſyſtematibus locum habent, in quibus ſymptomata primi ſtadii ſe oſtendunt; nimirum in ſyſtemate nervorum, ſanguinis et in ſyſtemate plaſtico.

1. *Symptomata ſyſtematis nervoſi.*

a) Caloris et doloris ſenſus imminuti.

§. 160.

Caloris et doloris ſenſus in ſtadio ſecundo imminuuntur quidem, verum non prorſus ceſſant; cauſae enim, e quo oriuntur, non amplius quidem tanta vehementia agunt, formata quippe nova materia, verum ad perfectam eius formationem agere pergunt.

§. 161.

In quibusdam inflammationibus, quarum contagio nervorum vis valde deprimitur, dolores ſaepe prorſus paene ceſſare videntur, v. c. in typho etc.

§. 162.

Calor in quibusdam inflammationibus in cute augeri videtur.

b) Senſibilitas depreſſa.

§. 163.

Quae primo ſtadio aucta erat ſenſibilitas, iam in ſecundo depreſſa eſt et quaſi obtuſa.

§. 164.

Iſta ſenſibilitatis depreſſio aut abſoluta eſt, aut relativa; haec minor eſt quam fuit in ſtadio primo; illa minor eſt, quam fuit in ſtatu normali.

§. 165.

Partes, quarum ſenſibilitas depreſſa eſt, conſuetis incitamentis aut minus aut prorſus non afficiuntur.

§. 166.

Gradus depreſſionis varii ſunt a modica diminutione ſenſibilitatis ad ſummum usque torporis et hebetudinis gradum.

§. 167.

Haec ſenſibilitatis depreſſio oritur partim ex antegreſſa nimia incitatione et exhauſtione ſenſibilitatis; partim e proventu inflammationis, qui organismo moleſtus eſt; partim e natura contagii, ſive ſeminis inflammationis.

§. 168.

Senſibilitas depreſſa et virium debilitas neutiquam perinde habendae ſunt; illa adeſſe, et haec ſimul abeſſe poteſt, et vice verſa.

§. 169.

In inflammationibus infinitis, quae omnes tres periodos ſimultaneas habent, haec ſenſibilitatis diminutio obſervari non poteſt; oppoſitae quippe vires et affectiones nullum effectum habent.

c) Senſus communis mutatus.

§. 170.

Mutatio ſenſus communis (coenaeſtheſis) in ſecundo etiam ſtadio locum habet, ſed a mutatione primi ſtadii differt. Senſus ponderis vel univerſalis vel localis, torpor et ſtupor, deliria, et varii praeterea ſenſus pro natura inflammationis diverſi huc pertinent.

§. 171.

Gradus huius mutationis varii ſunt, a leni ſenſus abnormitate ad ſummum typhomaniae gradum.

§. 172.

Hic ſenſus naſcitur partim ex abnormi nervorum affectione, partim e novo proventu inflammationis, qui organiſmo moleſtus eſt.

## 2. *Symptomata ſyſtematis ſanguiferi.*

### a) Sanguinis affluxus imminutus.

§. 173.

Sanguinis affluxus et humorum accumulatio ineunte hac periodo decreſcunt, et magis, magisque eo progrediente diminuuntur.

§. 174.

Cauſa huius diminutionis eſt partim irritatio imminuta, partim abſoluta novae materiae formatio.

§. 175.

Circulatio ſanguinis in parte inflammata hoc ſtadio minus alacris eſt quam priori et in nonnullis organis potiſſimum iis, quae ſanguine abundant ex parte ſtagnatio humorum locum habet, v. c. in pulmonibus.

### b) Mutatio ſanguinis.

§. 176.

Sanguis indolem phlogiſticam prioris ſtadii ab initio huius adhuc retinet, progrediente vero hoc ſtadio ſenſim ad priſtinam nativam indolem redit.

§. 177.

In inflammationibus infinitis, in quibus utraque ſtadia ſimul perdurant, indoles phlogiſtica ſemper animadverti poteſt.

§. 178.

In inflammationibus ad infauſtum exitum proclivibus, ſanguis hoc ſtadio ad ulteriorem et magis abnormem diſſolutionem et corruptionem tendit.

c) Mutatio pulſus.

§. 179.

Pulſus mutatio cernitur potiſſimum vehementia fracta et aucta interdum frequentia. Magna caeterum, horum ſymptomatum varietas et diverſitas eſt et non paucae a regula exceptiones.

§. 180.

Haec varietas oritur partim a varia affectione ſyſtematis nervoſi, partim a vario gradu mutationis ſanguinis, partim a varia natura proventus inflammationis.

3. *Symptomata ſyſtematis plaſtici.*

a) Rubor et tumor diminuuntur et ceſſant.

§. 181.

Rubor et tumor univerſalis et localis in hoc ſtadio diminuuntur. Prior quidem ita, ut non modo ratione intenſitatis, ſed etiam ratione ſpeciei ruboris mutetur et diminuatur.

§. 182.

Rubor interdum ex parte in alios colores transit.

§. 183.

In ſectionibus eorum, qui ſecundo ſtadio inflammationis mortui ſunt, rubor aut exiguus aut prorſus nullus reperietur, pro natura inflammationis et partis inflammatae, licet in priore ſtadio adfuerit.

§. 184.

Tumor in ſecundo ſtadio interdum augetur, ſi a volumine proventus (*des Productes*) inflammationis oritur.

§. 185.

Tumores oedematodes, qui post inflammationes oriri solent, non effecta earum, sed morbi secundarii sunt, a debilitate systematis lymphatici oriundi.

§. 186.

E diminutione horum symptomatum et progressu inflammationis interdum habitus asthenicus oritur, qui in inflammationibus infinitis ita temperatus est, ut cum habitu asthenico mixtus esse videatur, v. c. genae rubentes phthisiacorum.

b) Novae materiae (*neue Producte*).

§. 187.

Proventus, s. fructus inflammationis, qui primo stadio quasi floruit, nunc adolescit, ad maturitatem perducitur, et semina profert ipsi prorsus similia, et ad eandem inflammationem in alio organismo excitandam (favente scilicet opportunitate), idonea.

§. 188.

Nova ista materia, ab inflammatione effecta, primarium huius secundi stadii signum est, ad cuius formationem omnis inflammatio inde ab initio tendit, et in cuius excretione processus eius absolvitur et finitur.

§. 189.

Haec materia, quae hoc stadio generatur, nova prorsus est, neque antea, nisi inflammatione praegressa, in organismo obvia, similis quidem est partibus et materiis organicis, verum ab iis revera discrepans et diversa.

§. 190.

Hae materiae ab inflammatione effectae, proventus ſunt vitae ſeu vegetationis peculiaris abnormis et propriam indolem habentes, ad leges organismi ſecundum inflammationis genium mutatas, conformatae.

§. 191.

Simulac illae materiae formatae et tanquam nova ſemina perfectae ſunt, inflammatio rite abſoluta eſt; ſin vero quacunque de cauſa ad maturitatem perfectam pervenire non potuerunt, illae materiae vel in loco, quo generatae fuere, manent, — oritur induratio, ſtagnatio — vel ad alias partes ſub iisdem aut aliis formis transferuntur — oriuntur metaſtaſes.

§. 192.

Non omnes inflammationum proventus conſpici et animadverti poſſunt, ſive ſint in organismo, ſive extra eundem. Signa quibus dignoſcuntur in remotis interdum a ſede inflammationis partibus conſpiciuntur; interdum nulla, dum viget organismus obſervari poſſunt; interdum nulla omnino adſunt.

§. 193.

Servant autem hi proventus ſemper nativam affinitatem et analogiam loco, in quo orti ſunt, reſpondentem; nimirum partibus inflammatis et humoribus organicis, qui ab his partibus ſecernuntur, in quibus certa quaedam inflammatio obtinuit, ſimiles, v. c. in membranis mucoſis, muco; in oſſibus, oſſi.

§. 194

§. 194.

Hi inflammationum proventus ſemper ſibi conſtant, ſeminibusque aut contagiis e quibus orti ſunt, ſimiles ſunt, eaque, favente opportunitate, rurſus gignunt.

§. 195.

Hac lege nititur theoria de infectione. Omnis quippe infectio fit per inflammationem, et omnis inflammatio per contagium, i. e. proventum inflammationis, qui ſemen eius continet, propagari atque alii organiſmo inſeri poteſt.

§. 196.

Ipſa conceptio et nutritio foetus in utero materno non niſi ſecundum leges inflammationis fieri ſolet.

§. 197.

Haud mirum eſt inflammationem tanta in organiſmo pollere dignitate, cum ipſe ad leges eius formatus ſit.

§. 198.

Iſta inflammationis effecta, ſ. novae materiae per eam progenitae, organiſmo ſemper moleſtae ſunt.

§. 199.

Quo maius eſt harum materiarum volumen; quo magis a natura partium organiſmi, in quibus haerent, aliena; et quo maioris momenti hae partes et organa ſunt, eo maiora incommoda gignunt.

§. 200.

Magna eſt varietas atque diverſitas effectorum inflammationis, variaque ratione conſiderari poſ-

ſunt. Nimirum vel ratione ſeminis ſ. naturae; vel materiae et formae; vel complicationis, vel nexus cum organismo; vel loci in quo verſantur; vel temporis, per quod commorantur in organismo; vel actionis in organismo; vel conſpirationis cum organismo, vel adverſitatis; denique modi, quo organismus ab iis ſe defendit; vel ratione, qua ars ei ſuccurrere poteſt.

§. 201.

Ratione ſeminis, ſive naturae effecta inflammationis, ſunt vel quantitativa vel qualitativa. Utraque varie rurſus dividi poſſunt. Cfr. cap. ſequens de cauſis inflammationum.

§. 202.

Ratione materiae et formae modo in elementis imponderabilibus, gas- et vaporiformibus; modo fluidis magis aut minus ſpiſſis; modo pultiformibus, carneis, adipoſis, membranaceis, vaſiformibus, ſolidis magis minusve mollibus, duris; modo organica ſtructura praeditis; modo rudibus et indigeſtis molibus, varia forma, figura, colore, odore, et numero conſpicuis, conſiſtunt.

§. 203.

Ratione complicationis proventus ſunt vel ſimplices, vel complicati; illi a ſimplicibus, hi a complicatis inflammationibus proferuntur.

§. 204.

Modus, quo proventus inflammationum cum osganismo cohaerent; varius eſt. Alii arcte, alii laxe, alii prorſus non cum eo cohaerent, ſed ei modo contigui ſunt.

§. 205.

Ratione loci, quo verſantur, vel in organorum interiori ſtructura, vel in eorum ſuperficie, vel in cavitatibus reperiuntur. Alii in eodem loco ſemper verſantur, alii ſedem mutant. Alii ſyſtemata et organa univerſa, alii hanc modo aut illam earum partem occupant.

§. 206.

Temporis ſpatium, per quod in organismo commorantur, materiae ab inflammatione effectae modo longius, modo brevius eſt. Sunt, quae per totum vitae tempus remaneant; ſunt, quae eo ipſo quaſi momento quo formati ſunt, evolent; ſunt denique, quae per certum tempus poſt perfectam formationem remaneant.

§. 207.

Materiae nonnullae, ab inflammationibus genitae quiete in organismo manent; aliae vero ab illo momento quo formatae ſunt, agunt, vimque noxiam exercent in organismum, ſeſe regenerant, aut novas inflammationes excitant.

§. 208.

Ratione conſpirationis cum organismo aut adverſitatis magna inter proventus inflammationum varietas intercedit. Alios tam arcte et intime organismus ſecum unit atque coniungit, ut unam cum eo naturam efficere videantur, et ſalva eius ſalute exterminari nequeant. Alios libenter aut indifferenter, tanquam innocuos tolerare videtur: Contra alios continuo pugnat et tandem eos vincit; alios, re quaſi deſperata, pati cogitur ac tandem praepollenti eorum potentiae ſuccumbit.

§. 209.

Contra materias progenitas, quas organismus non recipit, varia ratione ſeſe defendere ſolet. Alias nimirum ſolvit et reſorbet, alias diluit, et excernit; alias includit valloque quaſi circumdat. Sunt quas exſiccet, quas ad alia minus incommoda loca transferat; ſunt quas ſenſim ſenſimque impugnando attenuet prorſusque tollat, ſunt denique, quas nova inflammatione, gangraena aut necroſi exterminet.

§. 210.

Ars ſaepe nihil valet ad removendas materias abnormes, ſaepe etiam eius auxilio ſuperſedere poſſumus. Ubi autem revera auxilium ferre poteſt, hoc aut mechanico, aut chemico, aut dynamico modo fieri poteſt. Conf. cap. VII. de cura inflammationis.

## *Tertium ſtadium.*

§. 211.

Tertium inflammationis qualiscunque ſtadium, *criticum*, excretionis, ſementis (*der Ausſcheidung*, *Kriſe*, *Ausſaat*) appellamus ea de cauſa, quia proventus in ſecundo ſtadio ad maturitatem perductus, in hoc tertio ſtadio excernitur et extra inflammationis aut organismi ſphaeram proiicitur. Non ſecus ac grana ſeminis plantae maturata proiiciuntur et feruntur, ut novos fructus proferant.

§. 212.

Duplex proventuum inflammationis ratio eſt: eiiciuntur aut ex organismo, aut e ſphaera inflammationis, remanentque in quadam organismi parte.

§. 213.

Si non eiiciuntur, hoc non fit, aut quia organismus iis, licet molesti sint, carere non potest; aut quia non magnam molestiam creant; aut quia organismus eos eiicere non potest, etiamsi eiicere laboret.

§. 214.

Si eiiciuntur, varia ratione hoc fieri solet, variaque hic consideranda sunt: forma et structura, qua eiiciuntur; ambitus, modus, tempus, via eiectionis; locus, ad quem proiiciuntur, et sympathia partium organismi, a quibus exeunt.

§. 215.

Forma et conditio, qua eiiciuntur, duplex est. Nimirum materiae fluidae sunt aut solidae.

1) Si fluidae sunt,
   a. aut imponderabiles,
   b. aut gasiformes,
   c. vapores aut
   d. guttatim fluidae sunt;
2) si solidae sunt,
   a. vel pultiformes,
   b. vel carniformes,
   c. vel cartilagineae,
   d. vel osseae et saxeae sunt.

§. 216.

Ratione structurae et conformationis ista effecta praedita sunt vel structura organica, vel non sunt nisi rudis massae aggregatio.

§. 217.

Ambitum quo eiiciuntur, ſi conſideramus, aut univerſam et integram materiam, aut partem eius ſolummodo exterminatam videmus; haec eſt criſis incompleta, illa completa.

§. 218.

Ratione modi proiiciuntur aut ſemel (*auf einmal*), aut ſenſim ſenſimque (lyſi).

§. 219.

Temporis ſi rationem habeas, illae materiae emittuntur aut ſtatim poſt perfectam et abſolutam formationem; aut aliquanto poſt, ſeu brevius, ſeu longius.

§. 220.

Via, qua ex organismo exeunt, eſt vel pars ipſa inflammata, vel aliud organon, per novam ſcilicet inflammationem, aut per organa excretoria.

§. 221.

Locus, ad quem proiiciuntur, duplex eſt, aut extra organismum in atmoſphaeram; aut in alias organismi partes, (per metaſtaſin).

§. 222.

Ratione ſympathiae partium organismi eiiciuntur aut ſine, aut cum iactura earum.

§. 223.

Hoc ſtadium durat a momento abſolutae formationis novae materiae usque ad perfectam et abſolutam eius excretionem, ſ. criſin.

§. 224.

Tempus, per quod decurrit, modo brevius eſt modo longius, in acutis a brevi temporis momento ad tres usque dies, in chronicis diutius durat.

§. 225.

Quaelibet inflammatio peculiari ipſique proprio modo proventus ſuos, novae inflammationis ſemina, excernit. Haud ſecus ac plantae vario modo ſemina ſua ſpargunt.

§. 226.

In hoc ſtadio infectio facillime fieri poteſt.

§. 227.

Hoc ſtadium cum prioribus ſimul decurrit in inflammationibus infinitis.

§. 228.

Symptomata huic ſtadio propria definiri non poſſunt; ſed omnia prioris ſtadii ſymptomata ſenſim decreſcunt aut cito ceſſant, ſenſusque valetudinis redit, qui in hac illave parte incipiens ad omnes modo citius, modo lentius penetrare ſolet.

§. 229.

Maxima caeterum huius ſtadii eſt varietas et diverſitas, quae partim a natura inflammationum; partim ab organiſmi conſtitutione; partim a rebus externis pendet.

## Caput quartum.

## DE CAUSIS INFLAMMATIONIS.

§. 230.

Caufa proxima inflammationis qualiscunque eft aucta et abnormis actio fyftematis plaftici, qua ad generandas novas easdemque abnormes materias tendit.

§. 231.

Caufae remotae, cum praedisponentes tum occafionales variae funt, varioque modo dividi poffunt.

### I. *Caufae praedisponentes f. opportunitas.*

§. 232.

Caufarum praedisponentium duae funt claffes, quae omnes complectuntur, nimirum internarum et externarum.

#### a) Caufae praedisponentes internae.

§. 233.

Caufae praedisponentes internae vel in mente, vel in corpore funt; funt igitur vel caufae pfychicae vel corporeae.

§. 234.

Caufae pfychicae funt animi commotiones, vel perturbationes (*Affecten*), vel cupiditates five inclinationes fortiores et inveteratae (*Leidenfchaften*).

§. 235.

Ad perturbationes animi feu affectus, qui inflammationis opportunitatem praebere poffunt,

pertinent non modo fortiores, qui per impetum vehementem animum et cum eo organismum universum incitant, et conturbant: v. c. terror, ira; sed etiam deprimentes: qui animum angunt et exagitant: v. c. cura, angor, moeror, metus.

§. 236.

Animi inclinationes fortiores (*Leidenschaften*) idcirco inflammationum ansam praebent, quoniam, si non satiantur, continuo desiderii stimulo animum excruciant et irritant, v. c. desiderium, nostalgia, amor infelix.

§. 237.

Causae corporeae internae in quatuor potissimum systematibus sedem habent, nimirum in systemate plastico, in systemate nervorum, vasorum sanguiferorum, et lymphaticorum.

§. 238.

Quo magis systemata illa in organismo aut organo quodam vigent, eo maior in eo opportunitas inflammationis esse solet. v. c. maior in infantibus, pulmonibus, oculis etc. — minor in senibus, cartilaginibus etc.

§. 239.

Abnormes horum systematum actiones, humoresque abnormes in iis contenti, praeparati aut resorpti non minus causae praedisponentes inflammationum sunt.

§. 240.

Interdum in aliis organismi systematibus causae praedisp. inflammationum latere possunt.

### b) Caufae praedisponentes externae.

§. 241.

Caufae praedisponentes externae variae et multiplices enumerari poffunt. Commode tamen in tres claffes dividuntur, quae omnia illa momenta complectuntur. Nimirum latent aut in atmofphaera, aut in ingeftis inprimis in nutrimentis, aut in vitae ratione.

§. 242.

Atmofphaera varia continet, quae organismum ad inflammationes praeparare poffunt. Huc pertinent ficcitas et humiditas, calor et frigus; eorumque viciffitudines; aër, vapores, gafa, miasmata, contagia, electricitas, et partes aliae, quae in aëre circumvehuntur, v. c. exhalationes animalium, vegetabilium, mineralium, paludum, etc.

§. 243.

Ad nutrimenta et ingefta pertinent omnes materiae, quae ore in organismum ingeruntur, cibi et potus et medicamina; victus uberior, et paucior, irritans, aromaticus; potus fpirituofus, excitans; medicamina. Huc pertinent etiam eae materiae, quae aliis viis ingeruntur, v. c. per nares etc.

§. 244.

Ad vitae rationem omnia ea pertinent, quae in prioribus non continentur: veftimenta, motus, confuetudines, labor, voluptates, ars et occupationum et vitae genus etc.

## II. *Caufae occafionales.*

§. 245.

Caufas occafionales five ea momenta, quae fyftema plafticum ita afficiunt, ut ad generandas abnormes materias incitetur, in duas claffes a natura ipfa divifas reperimus, nimirum in quantitativas et qualitativas.

### I. *Caufae quantitativae inflammationis.*

§. 246.

Caufae quantitativae ea funt momenta, quae fyftema plafticum ita afficiunt, ut actionem eius gradu ita augeant, ut inflammatio oriatur.

§. 247.

Caufae inflammationum quantitativae effecta quantitativa gignunt.

§. 248.

Caufae quantitativae occafionales varie dividi poffunt. Nimirum ratione naturae et indolis; ratione originis, durationis, ambitus, vehementiae, complicationis etc.

§. 249.

Ratione naturae et indolis caufae quantitativae triplicis funt generis: mechanicae, chemicae, dynamicae. Hae tres claffes omnes caufas quantitativas inflammationis complectuntur.

§. 250.

Ad caufas occafionales mechanicas pertinent omnia corpora, quae vel intrinfecus vel extrinfecus

ſolidas organismi partes mechanice ita irritant, ut inflammatio naſcatur. Cuius generis ſunt: frictiones, ictus, extenſiones, compreſſiones, inſtrumenta, quae vulnerant, et corpora peregrina in organismi partibus. Huc pertinet etiam volumen ſanguinis ipſum ad partem aliquam accumulatum, tumor inflammationis, et ipſae materiae ab ea genitae.

§. 251.

Dantur cauſae inflammationum quantitativae, quae dum chemico modo partes organismi afficiunt et irritant, inflammationem gignunt. Huc pertinent acida concentrata, cauſtica, ichor, ferrum candens etc.

§. 252.

Cauſae quantitativae dynamicae duplicis generis ſunt vel corporeae, vel pſychicae.

§. 253.

Cauſae corporeae ſunt omnia incitamenta, ſive fuerint in organismo ſive extra eum, quibus ita afficitur, ut inflammatio naſcatur, v. c. ſanguis, humores, nutrimenta, dolor phyſicus etc. et omnia, quae §. 242. inter cauſas praedisponentes enumerata ſunt.

§. 254.

Cauſae pſychicae occaſionales ſunt omnes animi perturbationes, quae ſupra §. 234—236. enumeratae ſunt. Eadem enim momenta, quae inflammationem praeparant, eam quoque revera excitare poſſunt.

§. 255.

Ratione originis ſive loci, quo cauſae occaſionales naſcuntur, ſunt vel externae vel internae; hae in ipſo organismo, illae extra eum naſcuntur.

§. 256.

Ratione durationis cauſae occaſionales vel momentaneae ſunt vel permanentes. Illae per breve modo temporis momentum organismum ita afficiunt, ut inflammatio oriatur, mox vero disparent, inflammatio vero manet. Hae perdurant poſtquam inflammationem excitarunt, nec niſi iis ſublatis illa tolli poteſt.

§. 257.

Ambitus actionis cauſarum quantitativarum occaſionalium ſeu ſphaera, qua agunt, eſt vel univerſus organismus, vel pars quaedam eius. Sunt enim, quarum actio, licet in una modo eaque minima organismi parte haereat, ad totum mox penetret; aliae vero nunquam fere ultra ſphaeram, qua incluſae ſunt, agunt.

§. 258.

Differunt inflammationis cauſae quantitativae ratione gradus vehementiae, qua organismum afficiunt, et maxima eius obtinet varietas, a ſummo enim vehementiae gradu ad leviſſimam irritationem continua gradatio eſt.

§. 259.

Ratione complicationis cauſae ſunt vel ſimplices, vel complicatae, illarum una unam inflammationem producit, harum plures unam eandemque inflammationem producunt.

## 2. *Caufae qualitativae.*

§. 260.

Caufae qualitativae ea funt momenta, quae fyftema plafticum ita afficiunt, ut functiones chemico-organicas non gradu, fed qualitate immutent, efficiantque, ut materiae novae ab inflammatione generandae qualitates oftendant chemico-organicas prorfus alienas, neque fola quantitativa irritatione gignendas.

§. 261.

Modus, quo hae caufae in organismum agunt prorfus fimilis eft vegetationi feminis plantae in terram fatae. Ut enim huic femini vis quaedam nativa ineft, quae rebus faventibus apte excitata, nutrimenta, quae e terra et atmofphaera capit, ita ad leges fibi infitas mutat et affimilat, ut vigeat, floreat et femen fui fimile proferat: ita inflammationis femen, f. caufa qualitativa curfum actionis peragit.

§. 262.

Hae caufae qualitativae non modo eos fuccos, quos ad generandas novas materias impendit, verum etiam ceteros organismi humores ad leges fuas magis aut minus immutat.

§. 263.

Caufae qualitativae (quantum quidem fcimus) fponte non poffunt nafci in organismo, uti caufae quantitativae, fed femper per contagium aut miasma in eum transferuntur: v. c. fyphilis, variolae, peftis, etc.

§. 264.

Cauſae qualitativae neque mechanicae, neque :hemicae, ſed tantum dynamicae ſunt; verum cum llis complicatae eſſe poſſunt.

§. 265.

Praeter qualitates eas, quas hae cauſae cum :auſis quantitativis communes habent, quaedam )eculiares iis competunt. Qua ratione varie dividi )oſſunt. Nimirum: ratione formae ſ. vehiculi; 'egenerationis, ambitus actionis, etc.

§. 266.

Ratione formae ſeu vehiculi, quo transferuntur, ıae cauſae differunt, et vel viſibiles vel inviſibiles !ici poſſunt. Aliae nimirum materia viſibili indi-;ent per quam, tanquam in vehiculo transplantan-ur, v. c. ſyphilis, variolae vaccinae. Aliis mate-ia viſibili non opus, v. c. variolis humanis, peſti.

§. 267.

Alia diverſitas cauſarum qualitativarum cerni-ur in facultate ſemet ipſas in organismo propa-andi. Aliae enim abſoluto inflammationis decurſu, artim ſemina eiiciunt foras, partim in organismo ementem faciunt et denuo aliam inflammationem xcitant, quippe cum in organismo ſeſe propagent; liae vero hac facultate non pollent.

§. 268.

Ratione ambitus actionis harum cauſarum haec btinet diverſitas. Aliae in diſtans et per fomitem gunt; aliae vero non niſi per intimum contactum im ſuam exſerunt.

§. 269.

Singularis varietas iſtarum cauſarum cernitur in mutatione ſenſibilitatis totius organismi contra repetitos eiusdem aut ſimilis cauſae impetus. Sunt quae, ſi ſemel organismum affecerunt, eum ab iterata affectione cauſae eiusdem aut ſimilis naturae ad tempus aut continuo tutum praeſtent; ſunt vero etiam, quae ſaepius eundem organismum afficiant.

§. 270.

Nonnullae harum cauſarum, ſi organismum corripiunt, ſyſtema potiſſimum nervorum tanta vi invadunt, ut functiones eius ſummo gradu deprimant; aliae nervos prorſus non afficere videntur.

§. 271.

Cauſae qualitativae inter ſe et cum quantitativis complicatae eſſe poſſunt.

§. 272.

Si inflammatio quantitativa adeſt, et accedit cauſa qualitativa, illa inflammatio in qualitativam ſimul mutatur, oriturque inflammatio complicata.

§. 273.

Quo plures adſunt cauſae unius eiusdemque inflammationis, eo magis complicata eſt.

§. 274.

Cauſae occaſionales ad inflammationem excitandam neceſſariae ſunt; praedisponentes non item.

## Caput quintum.

## DE IRREGULARI INFLAMMATIONUM DECURSU.

§. 275.

Inflammationes vario modo a normali decurſu variisque de cauſis deflectere poſſunt. Potiſſimum ratione periodorum, gradus vehementiae, ſymptomatum, complicationum et proventuum.

§. 276.

Ratione periodorum earumque decurſus varia irregularitas obſervatur. Nimirum interdum iuſto breviores, interdum longiores ſunt; interdum interrumpuntur aut praeterlapſae rurſus revertuntur; interdum propter obſcura aut confuſa ſigna difficulter dignoſcuntur.

§. 277.

Ratione vehementiae magna eſt inflammationumanomalia. Illae enim, quae, pro indole et natura ſua, mites et lenes vulgo eſſe ſolent; interdum nativam indolem exuunt malignamque aſſumunt, et cum ſumma vehementia et periculo decurrunt.

§. 278.

Non minor irregularitas ratione ſymptomatum obſervatur. Etenim vel deſunt ea ſymptomata, quae iis competunt, vel ea adſunt, quae ab eorum natura aliena eſſe videntur. Praeterea et gradu, numero, loco, forma et tempore abnormia eſſe poſſunt.

§. 279.

Praecipua inflammationum irregularitas e variis earum complicationibus oriri ſolet. Rariſſime

enim pars quaedam inflammata contiguas partes non afficit, neque cum iis inflammationem communicat; quo facto saepiſſime genuina et prima inflammationis facies ita permutatur, ut variae abnormitates inde oriantur. Variae praeterea e variis complicationibus inflammationum irregularitates oriuntur.

§. 280.

Ad inflammationum abnormitates pertinet denique ea, quae ratione proventuum locum habere ſolet, quae maxima eſt. Nimirum aut conformatione, aut perfectione, aut numero, aut loco, aut tempore, aut duratione etc. irregulares eſſe poſſunt.

§. 281.

Cauſae iſtarum irregularitatum variae ſunt, pendentque vel a natura inflammationum, et cauſarum earum, vel a conſtitutione organismorum, vel a rebus externis, ſaepiſſime potiſſimum a cura medica.

---

## Caput sextum.

## DE PROGNOSI INFLAMMATIONIS.

§. 282.

Prognoſis inflammationis in univerſum a variis rebus pendet, nimirum a natura ſ. cauſa, ſtadio, gradu, complicatione inflammationis, ab organismi, cui inhaeret, conſtitutione, et a rebus externis.

§. 283.

Felicior eſt prognoſis inflammationis quantitativae quam qualitativae; localis quam univerſalis;

definitae quam infinitae; felicior, ſi ſyſtema et organum ignobilius, quam ſi nobilius afficitur; felicior, ſi cauſa nota eſt et removeri poteſt, quam ſi ignota eſt et tolli nequit; felicior, ſi a contagio domeſtico et indigeno, quam ſi a peregrino et exotico oritur.

§. 284.

Ratione ſtadiorum prognoſis fauſtior eſt, ſi in primo ſtadio medici auxilium imploratur, quam ſecundo; fauſtior, ſi ſtadia rite et regulariter, quam ſi abnormiter decurrunt et recurrunt, vel recidiva oriuntur; fauſtior, ſi ſtadia contrahere et interrumpere licet, quam ſi hoc fieri non poteſt.

§. 285.

Ratione gradus vehementiae mitioris quidem inflammationis melior prognoſis eſt, quam vehementioris; modo ne confundatur aſthenia periculoſa cum lenitate.

§. 286.

Inflammatio ſimplex et regularis minus periculi habet et felicius faciliusque ſanatur, quam ea, quae complicatae indolis eſt aut plures ſimultaneas habet inflammationes.

§. 287.

Ab organismi conſtitutione non raro inflammationis prognoſis pendet. Robuſtus iuvenis et bene valens organismus felicius inflammationi qualicunque augurium dat, quam debilis, annis confectus et minus valens, aut aegrotus.

§. 288.

Res externae, a quibus saepenumero non minus prognosis inflammationis pendet, quam ab ipsa eius natura et causa, variae sunt. Huc pertinent: vitae ratio, victus et amictus, animi perturbationes, atmosphaera, clima, anni tempus, locus, in quo aegrotus versatur, cura denique eiusdem etc.

§. 289.

Organismus iuvenis, masculus et robustus, systemate arterioso praevalente et temperamento cholerico gaudens, victu et potu roborante fruens, vitaeque genere utens, quod magnam quidem virium intensionem exigit, ad exhaustionem vero non progreditur: pronior quidem ad suscipiendas, verum etiam ad perferendas et feliciter absolvendas inflammationes aptior est.

§. 290.

A prognosi non minus, quam a diagnosi inflammationis, medela eius pendet.

---

## Caput septimum.

## DE CURA INFLAMMATIONIS.

§. 291.

Cura seu medela inflammationum ad normam indicationum seu regularum e diagnosi et prognosi rite hauriendarum instituenda est.

§. 292.

Omnis inflammatio in quocunque stadio quam primum id tuto fieri potest artis auxilio ad finem perducenda est.

§. 293.

Dantur inflammationes, quarum decurſus, ſalvo organismo, artis auxilio neque turbari poteſt, neque debet.

§. 294.

Sunt inflammationes, quae in hoc ſtadio tuto arte ſupprimi poſſint, in alio non item.

§. 295.

In cura inflammationis qualiscunque exacta ratio habenda eſt naturae et cauſae eius, ſtadii, gradus, complicationis, ſymptomatum periculum minitantium, organismi et rerum externarum.

§. 296.

Variae et diverſae ſunt methodus antiphlogiſticae, quarum claſſes primariae ſunt: quantitativa et qualitativa; directa et indirecta; ſyſtema plaſticum, nervoſum aut ſanguiferum afficiens.

§. 297.

Nequaquam perinde eſt, quanam methodo, quibusve remediis ad curandam inflammationem quandam utatur ars medica.

§. 298.

Cuilibet inflammationi ſua competit medendi methodus antiphlogiſtica.

§. 299.

Inflammationes quaedam non niſi una via et ratione, certisque remediis ſanari poſſunt; alias

vero variis methodis et remediis curare et ſanare licet.

§. 300.

Inflammationes nonnullae, quibus certa quaedam methodus competit, alia methodo minus quidem apta, et quaſi per ambages curante, ſanari poſſunt; v. c. nitro, ubi venaeſectio competit; aut venaeſectione, ubi frigus competit.

§. 301.

Naturae quippe variae multiplicesque viae ſunt, quibus ars ad ſanationem eiusdam morbi inſiſtere poteſt.

§. 302.

Natura ſola inflammationes ſanat, ars eam non niſi adiuvat.

§. 303.

Inflammatio ipſa nihil aliud eſt, niſi proceſſus, quo natura abnormitates, ſtimulo abnormi vel contagio in organismo excitatas, tollere et ſtatum normalem reducere nititur.

§. 304.

Materias quippe organismo infeſtas, quas neque aſſimilare, neque viis excretoriis excernere poteſt; ſtimulosque, a quibus alia ratione ſeſe defendere nequit, per inflammationem arcere et exterminare ſtudet.

§. 305.

In hoc ſanandi negotio organismus duplici ratione ab arte adiuvari poteſt; partim impugnando hoſtilem materiam, partim defendendo organismum.

§. 306.

Impugnari poteſt materia, ſtimulusque hoſtilis artis auxilio vel directe, ſi deſtruitur et tollitur; vel indirecte ſi nutrimenta ei detrahuntur.

§. 307.

Directe impugnatur contagium, ſeu ſtimulus inflammationis, materiaque abnormis, ſi artis auxilio mechanico, chemico aut dynamico modo deſtruitur, aut debilitatur.

§. 308.

Indirecte impugnatur ſi nutrimenta, quae e ſanguinis aut nervorum ſyſtemate haurit, ei detrahuntur; quod varia ratione fieri poteſt: vel dum in univerſum ſanguinis et nervorum vis imminuitur, vel dum aditus horum nutrimentorum ad inflammationes praecluditur.

§. 309.

Defendi poteſt organismus artis auxilio duplici ratione, directe, dum vires eius augentur et excitantur; et indirecte, dum inſenſibilis erga ſtimulum contagii eiusque effecti redditur.

§. 310.

Directe organismus artis auxilio defenditur, ſi vires eius augentur, aut excitantur, ut contagium a ſe arcere, et ab eius legibus vindicare ſe poſſit; aut, ſi hoc fieri non poteſt, ut ad ſuſtinendum et feliciter abſolvendum inflammationis proceſſum vires ipſi ſufficiant: v. c. in inflammationibus e contagio oriundis quod principio quodam narcotico ſyſtema nervorum deprimit;

§. 311.

Indirecte organismus arte defenditur, ſi ſenſibilitas in univerſum aut partis cuiusdam ita immutatur, ut a ſtimulo abnormi aut prorſus non aut parum modo afficiatur, quo fit, ut certum temporis ſpatium ei concedatur, quo vis contagii aut ſponte evaneſcit, aut viribus organismi debilitatur et aboletur.

§. 312.

Contagia quippe plurima non niſi per certum tempus vim ſuam ſervant; quemadmodum ſemina non niſi per aliquod tempus foecunditatem ſuam retinent.

§. 313.

Organismo ineſt vis continuo efficax, qua indefeſſa contentione in eo laborat, ut omnia, quae in ſphaeram ſuam intrent, legibus ſuis obtemperare cogat, ſibique aſſimilet.

## I. *Primi ſtadii medela et indicationes therapeuticae.*

§. 314.

Duplex eſt artis officium in primo ſtadio inflammationis:

*Primum:* inflammationem, quam primum tuto fieri poteſt extinguere, novaeque formationi materiae obviam ire;

*Secundum:* inflammationem, ſi tuto ſupprimi nequit, ita dirigere, ut leniter et regulariter hoc ſtadium abſolvat.

1. *Prima indicatio: inflammatio extinguenda est.*

§. 315.

Ad extinguendam, quam primum id tuto fieri poteſt, inflammationem, variae pro natura inflammationis patent viae, neque perinde eſt quamnam ars perſequatur.

§. 316.

Extinguitur inflammatio methodo ſic dicta antiphlogiſtica, quae duplex eſt: quantitativa et qualitativa. Utraque rurſus directa et indirecta eſt, quarum quaeque aut ſyſtema plaſticum, aut nervoſum, aut ſanguiferum ſpectat.

A. *Methodus antiphlogiſtica quantitativa.*

a) Directa.

§. 317.

Methodus antiphlogiſtica quantitativa directa ea eſt, quae remediis utitur partes inflammatas ipſas afficientibus, et vel in ſyſtema plaſticum, vel nervoſum, vel ſanguiferum ita agentibus, ut abnormem eorum actionem, iuſto vehementiorem deprimant.

α. In ſyſtema plaſticum.

§. 318.

Methodus antiphlogiſtica quantitativa, ſyſtema plaſticum afficiens, duplici ratione efficere poteſt, ut inflammatio extinguatur.

*Primum:* ſtimulum inflammationis auferendo;

*Secundum:* functiones organico-plasticas systematis plastici deprimendo.

§. 319.

αα) Aufertur et tollitur stimulus inflammationis triplici ratione, nimirum mechanica, chemica et dynamica.

§. 320.

Mechanice: si demitur aut removetur manu aut instrumentis: v. c. si corpus peregrinum ex oculo removetur.

§. 321.

Chemice: si remediis chemicis, causticis, ferro candente destruitur: v. c. virus in vulnere.

§. 322.

Dynamice: si remediis dynamicis inflammationis stimulus tollitur: v. c. opio stimulus inflammatorius in mamma post repentinam animi perturbationem.

§. 323.

Utilis est haec methodus tum, cum stimulus adhuc perdurat; deinde cum stimulus inflammationis perdurantis causa est; denique cum eum tollere licet. Oppositis sub conditionibus inutilis est.

§. 324.

ββ) Deprimitur functio systematis abnormiter aucta, cum in universum, tum localiter, adhibitis remediis internis et externis, quae actionem eius debilitant, vel ad aliquod tempus prorsus interrumpunt. Inter quae remedia primarium locum tenent: *frigus* et *arsenicum*.

§. 325.

Frigus et potiſſimum frigus glaciale ſummum eſt remedium antiphlogiſticum, quippe quod in organiſmo animali omnes functiones plaſticas eadem ratione interrumpit et ſupprimit, qua vegetationem plantarum hiemis tempore; ſublato nimirum calore, omnis vitae et vegetationis ſumma conditione.

§. 326.

Frigus adhibetur vario gradu, aut continuo, aut per intervalla; et applicatur vel ad univerſum organiſmum, vel ad partem quandam, inprimis inflammatam.

§. 327.

Prodeſt frigoris applicatio inflammationibus earum partium, in quibus ſyſtema plaſticum inprimis viget; quae ſuperficiei corporis magis contiguae ſunt; inflammationibus univerſalibus, potiſſimum vero initio primo, et maiori vehementiae earundem. Aliis maior, aliis minor frigoris gradus prodeſt.

§. 328.

Non prodeſt, immo nocet interdum frigus inflammationibus partium durarum, in quibus ſyſtema plaſticum minus viget; neque earum, quae a ſuperficie corporis nimis remotae ſunt; neque ſub finem ſtadii primi, ſi ab initio eius non adhibitum fuit; neque demum inflammationibus aſthenicis.

§. 329.

Arſenicum fortiſſimus vitae antogoniſta et adverſarius eſt, omnemque vegetationem et regenera-

tionem cum animalem tum vegetabilem deſtruit, quo fit, ut efficaciſſimum remedium antiphlogiſticum ſit, quod ſyſtema plaſticum afficit.

§. 330.

Arſenicum prodeſt quibusdam inflammationibus, quae acontagiis pertinacibus oriuntur, nec remediis aliis facile debellari poſſunt; inflammationibus vaſorum lymphaticorum, et organismis robuſtis, neutiquam vero cachecticis.

§. 331.

Experientia de vi huius remedii hucusque manca eſt, ita, ut parum de eius virtutibus conſtet.

β. In ſyſtema nervoſum.

§. 332.

Syſtema nervoſum, cum in omni inflammatione magnopere affectum ſit, cauſamque eius primariam ſaepenumero contineat, ita, ut nulla omnino inflammatio ſine eius actione locum habere poſſit: ad extinguendam inflammationem plurimum valet, ſi rite ei ab arte ſuccurritur.

§. 333.

Duplici ratione ſyſtemati nervorum artis auxilio directe ſuccurri poteſt:

*Primum:* remediis ſedantibus, quae ſenſibilitatem eius deprimunt.

*Secundum:* remediis animantibus, quae eius functiones erigunt.

§. 334.

*αα.* Deprimenda eſt ſenſibilitas nervorum ad extinguendas inflammationes eo conſilio, ne ab earum ſtimulo abnormiter incitari eorumque functiones aut omnino, aut ſaltem minori gradu turbari poſſint; tempusque organismo concedatur, quo vi ipſi inſita, abnormes ſtimulos innocuos reddere poſſit, vel conſuetudine, vel aſſimilatione, vel excretione.

§. 335.

Deprimitur ſyſtematis nervoſi ſenſibilitas methodo ſedativa, potiſſimum vero remediis narcoticis iis, quae minime irritant, doſibusque paulo maioribus pro re nata.

§. 336.

Adhiberi poteſt haec methodus non modo certis locis, ſed etiam in univerſum, ſive inflammationes univerſales, ſive locales fuerint; verum exacte diſtinguenda ſunt varia remedia narcotica, neque promiſcue adhibenda.

§. 337.

Prodeſt haec medendi ratio inflammationibus potiſſimum nervorum, organorumque, in quibus ſyſtema nervoſum viget (v. c. oculis); inflammationibus e mechanica nervorum preſſione et extenſione orta, iisve, quae ſummo dolore et ſpaſmis coniunctae ſunt; nec non antequam ſtimuli inflammatorii accedant.

§. 338.

Non prodeſt in nervorum inflammationibus a contagio ſeu ſtimulo oriundis, cum principio nar-

cotico coniuncto, qui nervos maximopere deprimit atque obtundit: v. c. in typho, etc.

§. 339.

ββ) Animandi et recreandi ſunt nervi univerſumque ſyſtema nervoſum artis auxilio eo nimirum conſilio, ut ab innormali inflammationis ſtimuli actione ſeſe defendere poſſint, vel dum eum prorſus non admittunt, vel dum eius legibus, maiori quippe potentia ipſi pollentes, neutiquam obtemperant.

§. 340.

Ad animandos nervos in primo inflammationis ſtadio neque methodus excitans, neque roborans, neque nutriens in univerſum adhibenda eſt; neque ea remedia, quae actionem ſyſtematis ſanguiferi ſimul augent, aut organismum in univerſum excitant et irritant; quippe quae inflammationem augent; neque ea, quae nervos ita excitant, ut poſtea ſequatur depreſſio et exhauſtio.

§. 341.

Adhibenda ſunt ea remedia, quae dum nervorum ſyſtema excitant et animant, ſyſtema ſanguiferum deprimunt; aut ſaltem non excitant, in quorum numero frigus, ſubito et per intervalla atque cum impetu quodam ad partes externas nervorum centris primariis contiguas, adhibitum, primarium et efficaciſſimum eſt. Huc pertinent quoque emetica ſ. nauſeoſa, et forſitan Moſchus, Ammonium etc.

§. 342.

Utilis eſt haec methodus potiſſimum inflammationibus, quarum ſtimulus nervorum functionum valde deprimit et paralyſi quaſi corripit, ut proceſſum inflammatorium neque rite inchoare, neque feliciter abſolvere poſſint.

§. 343.

Non adhibenda eſt tum, cum ſyſtema nervoſum viget.

γ. In ſyſtema ſanguiferum.

§. 344.

Cum inflammatio quaecunque ſanguine nutriatur, eiusque affluxu augeatur, patet, tertiam viam ad extinguendam inflammationem, per ſyſtema ſanguiferum aperiri.

§. 345.

Duplici ratione ars, directe ſyſtema ſanguiferum afficiens, ad extinguendam inflammationem organismo auxilium ferre poteſt:

*Primum:* Copiam univerſam ſanguinis imminuendo.

*Secundum:* Indolem phlogiſticam eius mitigando.

§. 346.

αα) Imminui ſanguinis copia, artis auxilio poteſt cum in univerſo organismo, tum in parte aut ſyſtemate inflammatione correptum. Haec imminutio ſanguinis fortiſſimum et efficaciſſimum remedium eſt antiphlogiſticum, quippe quo omni inflammationi vel vehementiſſimae, omnia nutrimenta

ita detrahi poſſunt, ut prorſus extinguatur; quemadmodum planta, quae non irrigatur, perit.

§. 347.

Imminuitur nimia partis inflammatae plethora duplici ratione: Nimirum vel emittitur certa quaedam ſanguinis copia extra organismum, vel prohibetur, quo minus ad partem inflammatam advehi poſſit.

§. 348.

Detractio ſanguinis ita fieri debet, ut quam citiſſime idonea ſanguinis copia emittatur, quocunque demum fiat modo. v. c. venaeſectione.

§. 349.

Utilis eſt haec methodus in curatione inflammationis partium ſanguine abundantium; organismorum robuſtorum; in plethora univerſali et locali; in congeſtionibus ſanguinis ad partes nobiles et duris fortibusque partibus circumdatas.

§. 350.

Minus utilis eſt in inflammationibus aſthenicis, nervorum, organismi debilis, organique ſanguine deſtituti; item in inflammationibus vaſorum exhalantium et lymphaticorum.

§. 351.

Prohibetur ſanguis ab accumulatione in parte inflammata remediis conſtringentibus externis et internis, potiſſimum frigore, quo vaſa quam fortiſſime conſtringuntur.

§. 352..

§. 352.

Prodeſt haec curandi ratio iisdem ſub conditionibus, quae §. 349. enumeratae ſunt; praecipue in inflammationibus partium externarum et earum, quae cuti contiguae ſunt. Nec non in inflammationibus nervorum.

§. 353.

Minus vero prodeſt inflammationibus aſthenicis, iisque ſub conditionibus, quae §. 350. laudantur.

§. 354.

ββ) Cum per inflammationem ſanguis ita mutetur, ut indolem phlogiſticam induat, idoneusque ad ſolutionem atque ad ineundas novas compoſitiones fiat, patet, inflammationis decurſum primo ſtadio hac ratione interrumpi poſſe, ut ſanguis prohibeatur, quominus eam indolem adipiſci poſſit.

§. 355.

Impediri illa mutatio potiſſimum frigore, aquae frigidae potu, hydrargyro, nitro et acidis vegetabilibus poteſt.

§. 356.

Haec methodus in curandis iis inflammationum ſpeciebus adhibenda eſt, quae ſanguinis indolem inprimis immutare ſolent, potiſſimum univerſalibus, partiumque et organorum ſanguine abundantium.

b. Methodus antiphlogiſtica quantitativa indirecta.

§. 357.

Methodus quantitativa indirecta non partem inflammatam ipſam, ſed aut alias organiſmi partes

afficit, easque ita incitare ſtudet, ut earum affectio per ſympathiam aut antagonismum in parte inflammata ſalutarem mutationem, nimirum inflammationis imminutionem efficiat; aut res externas ita disponit, ut ſanationem inflammationis adiuvent.

§. 358.

Syſtemata, hac methodo indirecte afficienda, ſunt ſyſtema plaſticum, nervorum et ſanguinis.

§. 359.

In eligendis partibus, quae ad efficiendam indirectam partis inflammatae incitationem, directe afficiendae ſunt, ratio habenda eſt earum vicinitatis, affinitatis, ſympathiae, antagonismi et functionum ſimilitudinis; modo plus, modo minus.

α. Syſtema plaſticum.

§. 360.

Methodus indirecta ad extinguendam inflammationem duplici ratione ſyſtema plaſticum afficere poteſt.

*Primum:* excitatione maioris ſtimuli in aliis partibus.

*Secundum:* detractione omnium earum rerum, quae actionem ſyſtematis plaſtici augent.

§. 361.

αα) Excitatio maioris ſtimuli in aliis partibus, magis minusve a parte inflammata remotis, non parum ad diminuendam abnormem ſtimuli irritationem, ipſamque ex illo natam inflammationem facit;

ſecundum leges enim antagonismi maior ſtimulus alicuius partis minorem alterius partis vincit.

§. 362.

Remedia, quibus maior irritatio effici poteſt, omnia ea ſunt, quae dolorem faciunt; dolor enim fortiſſimus omnium ſtimulus eſt. Huc pertinent rubefacientia, veſicantia, moxa, ferrum candens, etc.

§. 363.

Prodeſt haec medendi ratio in curatione inflammationis partium earum, quas directe, aut prorſus non, aut parum afficere poſſumus; aut ubi methodus directa non ſufficit; potiſſimum in inflammationibus rheumaticis, et in multis aliis ad adiuvandam methodum directam.

§. 364.

*ββ*) Detractio earum rerum, quae actionem ſyſtematis in univerſum ſuſtentant, imminuit quoque eius actionem in parte inflammata. Secundum leges enim ſympathiae aut conſenſus partium organicarum altera debilitatur, ſi alterius vis diminuitur.

§. 365.

Haec depreſſio indirecta actionis ſyſtematis plaſtici fieri poteſt, ſi partibus inflammationi vicinis aut remotis humores detrahuntur, quarum iactura ſyſtema plaſticum debilitatur: v. c. laxantibus, ſuppuratione artificiali, nutritione parca, etc.

§. 366.

Utilis eſt haec methodus in nonnullis inflammationibus chronicis, praecipue earum partium,

quarum inflammatio per ſe lente progreditur, v. c. oſſium. Praeterea etiam in auxilium methodi directae vocatur, etc.

β. Syſtema nervorum.

§. 367.

Syſtema nervoſum inflammationis extinguendae cauſa indirecte ab arte afficitur.

*Primum:* omnia, que nervos irritant removendo.

*Secundum:* ea, quae nervorum vigorem ſuſtentant atque tuentur, adhibendo.

§. 368.

αα) Cum in primo ſtadio omnis inflammationis omnia noceant, quae nervos irritant atque conturbant, ſedula ea evitanda, removenda atque arcenda ſunt, ſummaque diligentia aequabilis tranquillitas ſyſtematis nervoſi tuenda eſt.

§. 369.

Iis, quae evitanda ſunt, iure adnumerantur lucis, ſtrepitus, motus et animi commotionum etc. impreſſiones; contra ea ſilentium, quies, lucis minor gradus, animi tranquillitas etc. proſunt.

§. 370.

ββ) Cum in quibusdam inflammationibus nervorum alacritas valde deprimatur, artis auxilio efficiendum eſt, ut non directe modo, ſed indirecte etiam ſyſtematis nervoſi vigor ſuſtentetur.

§. 371.

Methodus, qua hoc fieri poteſt, vel poſitiva eſt, vel negativa. Haec omnia removet, quae ner-

vos deprimunt, v. c. miasmata et contagia; illa omnia procurat, quae ad nervos animandos contribuere poſſunt: v. c. ſenſus iucundos; atmoſphaeram puram, ſiccam, etc.

§. 372.

Iſtae methodi indirectae in omnibus inflammationibus, quae univerſa ſyſtemata aut organismum univerſum afficiunt, et ad alias methodos adiuvandas, cum ſumma utilitate adhiberi poſſunt.

γ. Syſtema ſanguiferum.

§. 373.

Indirecta affectio ſyſtematis ſanguiferi in parte inflammata ad extinguendam inflammationem fieri poteſt:

*Primum:* ſanguine per derivationem a parte inflammata removendo.

*Secundum:* ea, quae indolem phlogiſticam ſanguinis augent, evitando.

§. 374.

αα) Derivatio ſanguinis a loco ſeu parte inflammata, inflammationi nutrimenta neceſſaria ſubtrahit eaque ratione ad extinguendam eam confert.

§. 375.

Fieri poteſt derivatio partim imminutione univerſali copiae ſanguinis, per quam ea etiam in organo inflammato diminuitur; venaeſectione; partim curando, ut ad aliam remotiorem partem alliciatur: v. c. pediluvio calido ad pedes.

§. 376.

Haec methodus in iis potiſſimum inflammationibus commendanda eſt, quae plethora univerſali aut locali inſignes ſunt, congeſtionesque periculoſas habent.

§. 377.

ββ) Omnia, quae indolem phlogiſticam ſanguinis augent, inflammationem augent, evitanda ideoque arcenda ſunt.

§. 378.

Evitandi ſunt potus et cibi nutrientes, excitantes et roborantes; medicamina excitantia, quae ſimul ſyſtema ſanguiferum irritant et eius actionem augent; motusque, quo ſanguinis circuitus rapidior fit.

§. 379.

Iisdem ſub conditionibus haec methodus adhibenda eſt, quibus antecedens prodeſt; inprimis autem in inflammationibus organorum ſanguine abundantium.

B. *Methodus antiphlogiſtica qualitativa.*

a) Directa.

§. 380.

Methodus qualitativa non augendo aut imminuendo, ſed immutando ſtimulo inflammatorio, et functione ſyſtematis plaſtici prodeſſe ſtudet. Quod ſi ita peragit, ut abnormem inflammationis ſtimulum remediis qualitativis deſtruat, et inflammationem hac ratione tollat, directe agit.

§. 381.

Duplici ratione methodus qualitativa directe ſtimulos inflammationis ſ. contagia impugnare poteſt.

*Primum:* in univerſum,
*Secundum:* in ſpecie.

§. 382.

αα) In univerſum contagia impugnantur remediis adhibitis, quae omnia contagia, quoscunque inflammationis ſtimulos et cauſas qualitativas deſtruunt et ſolvunt. (*zerſetzen.*)

§. 383.

Huius generis remedia non niſi duo, aut potius unum experientia comprobatum habemus, nimirum acidum muriaticum oxygenatum, et gas acidi eiusdem, Euchlorine a nonnullis dictum; quae, ſi recte adhibentur, quantum quidem conſtat, omnia contagia, cum quibus miſcentur, diſſolvunt et deſtruunt.

§. 384.

Prodeſſe poſſunt haec remedia in omnibus inflammationibus qualitativis, inprimis iis, quae e contagiis malignis oriuntur; proſunt etiam in iis inflammationibus, quae e miasmatibus originem ducunt.

§. 385.

ββ) Methodus qualitativa in ſpecie ad deſtruenda contagia adhibita, certis quibusdam remediis certa quaedam contagia ſeu inflammationum ſtimulos qualitativos impugnat: v. c. contagium ſyphiliticum hydrargyro.

b) Methodus qualitativa indirecta.

§. 386.

Methodus qualitativa indirecta, non contagium ipſum deſtruere conatur, ſed organismum ita afficere et munire, ut a contagiis prorſus affici non poſſit.

§. 387.

Duplici ratione artis auxilio hoc fieri poteſt, nimirum

*primum:* in univerſum,
*ſecundum:* in ſpecie.

§. 388.

*αα*) In univerſum organismus a vi et impetu contagiorum defendi poſſet remediis, quae eum prorſus a ſenſu incitationis iſtorum ſtimulorum abducerent.

§. 389.

Remedium vero huius indolis, quo medicina vere triumphare poſſet, hucusque nondum repertum eſt. Remedia, quae vulgo adhibentur, non ſufficiunt.

§. 390.

*ββ*) In ſpecie haec methodus adhibetur, ſi remedio certo organismus certo quodam contagio prorſus defenditur, et ita munitur, ut vel prorſus ab eo non affici poſſit, aut ſi affectus fuerit, mox ab eo liberari poſſit.

§. 391.

Remedium, quod a certo quodam inflammationis ſtimulo qualitativo, variolarum nimirum orga-

nismum prorſus defendit, ſunt variolae vaccinae; remedii, quod affectiones ſtimuli qualitativi cuiusdam tollit, exemplum eſt hydrargyrum.

2. *Secunda indicatio: inflammationis decurſus dirigendus eſt.*

§. 392.

Si inflammatio in primo ſtadio tuto ſupprimi non poteſt, eius decurſus ita dirigendus eſt, ut leniter et regulariter abſolvatur.

§. 393.

Duo ſunt, quae in primo ſtadio ſecundae medendi regulae convenienter agenda ſunt, nimirum
*primum:* moderandus eſt energiae inflammationis gradus;
*ſecundum:* tuendus eſt regularis decurſus.

a) Gradus inflammationis moderandus eſt.

§. 394.

Inflammatio ratione gradus utrimque excedere poteſt; nimirum vel nimia vehementia, vel nimia aſthenia conſpicitur.

§. 395.

α) Si nimia inflammationis vehementia organismo univerſo aut parti cuidam periculum minitatur, mitiganda et deprimenda eſt ita, ut rite hoc ſtadium abſolvat.

§. 396.

Mitigatur nimia inflammationis vehementia apparatu antiphlogiſtico idoneo in antecedentibus expoſito.

§. 397.

β) Si inflammatio asthenica est, si nimis segniter progreditur, proventusque non rite praeparat, functiones systematis plastici augendae et excitandae sunt, ut decursus huius stadii inflammationis rite absolvatur.

§. 398.

Augetur systematis plastici actio et ipsa inflammatio, tum negative, tum positive.

§. 399.

Negative: evitandis remediis antiphlogisticis et omnibus iis rebus, quae organismum debilitant.

§. 400.

Positive: adhibendis methodis excitantibus, roborantibus et nutrientibus, omnibusque rebus, quae organismi vires augent.

§. 401.

Verum in utrisque, in debilitando et excitando ne quid nimis! Si deprimendo nimis franguntur vires organismi, inflammationem ad faustum exitum perducere nequit; si nimis excitantur, idem metuendum est.

b) Decursus regularis tuendus est.

§. 402.

In tuendo regulari inflammationis decursu respiciendum est ad tempus iustum, per quod durare debet inflammatio; ad locum, cui inhaeret; ad symptomata periculosa et abnormia; ad complicationes; corporis constitutionem, et res externas,

§. 403.

Ratione temporis iufti, per quod primum ftadium certae inflammationis decurrit, neceffe eft, ars provideat, ne decurfus interrumpatur, aut recurrat, aut in longum nimis protrahatur et chronicus evadat.

§. 404.

Adhibendae funt hanc ob caufam methodus et remedia prò re nata modo excitantia, modo fedantia; modo roborantia, modo debilitantia; modo nutrientia, modo evacuantia.

§. 405.

Ratione loci, in quo fphaera inflammationis verfatur, cavendum eft, ne inflammatio ad alia organa, nobiliora potiffimum transeat, et metaftafes et metafchematismi oriantur.

§. 406.

Utilis potiffimum eft ad inflammationem tuendam et in iufto loco continendam, methodus antagoniftica, praeter alias fupra laudatas methodos.

§. 407.

Symptomata, quae vitae periculum minitantur, et pro inflammationum partisque inflammatae natura variae indolis effe poffunt, ita curanda funt, ut vel fimul cum principali curationis negotio, aut hoc fufpenfo, per aliquod tempus, unice attendantur et tollantur.

§. 408.

Fieri autem hoc poteft varia ratione, pro fymptomatum diverfitate. Spasmi v. c. antifpas-

modicis; dolores, narcoticis; congeftiones, haemorrhagiae, paralyfes etc., quaelibet modo congruente curantur.

§. 409.

Complicationes, incognita faepe caufa irregularis inflammationum decurfus probe indagandae atque ita curandae funt, ut plures methodi complicationibus aptae coniungantur.

§. 410.

Organismi conftitutio, quando abnormem decurfum inflammationis, e debilitate, robore, plethora, cachexia, morbofa difpofitione etc. oriundum efficit, ab arte remediis cuique anomaliae idoneis curanda eft.

§. 411.

Irregularis decurfus e rebus externis haud raro nafcens ita fanandus eft, ut partim res externae, abnormitatis caufae, mutentur aut amoveantur; partim ipfae ex iis ortae anomaliae idoneis remediis corrigantur.

§. 412.

Si omnia natura duce rite progrediuntur, medicus non nifi attenti fpectatoris perfonam fuftinet.

## II. *Secundi ftadii medela et indicationes therapeuticae.*

§. 413.

In ftadio fecundo inflammationis, methodus antiphlogiftica primi ftadii deferenda, prorfusque contraria fequenda eft. Nova quippe materia iam coepta eft formari, cuius in omni huius ftadii cura, exactiffima ratio habenda eft.

§. 414.

Ad regulas medendi prioris ſtadii, quae etiam in ſecundo ſtadio, mutatis mutandis, obſervandae ſunt, duae aliae accedunt, huic ſtadio propriae. Sunt autem regulae medendi ſecundi ſtadii hae:

*Prima:* extinguenda eſt inflammatio, ſi tuto fieri poteſt;

*Secunda:* dirigendus eſt inflammationis decurſus;

*Tertia:* vires organismi ſuſtentandae ſunt;

*Quarta:* formatio novae materiae moderanda eſt.

I. *Prima indicatio: inflammatio extinguenda eſt.*

§. 415.

In ſecundo quoque ſtadio regula medendi prima haec eſt: inflammatio, ſi tuto fieri poteſt, extinguenda eſt.

§. 416.

Tuto omnis inflammatio in ſecundo ſtadio non minus ac primo extingui poteſt, ſi ex eius extinctione neque in parte inflammata, neque in aliis partibus, affectiones morboſae gravioris naturae oriuntur.

§. 417.

In ſecundo ſtadio inflammatio quidem iisdem methodis, atque remediis interdum imminui et prorſus extingui poteſt, quibus in primo ſtadio fieri ſolet; verum non niſi raro et ſumma adhibita cautione, ne forte e ſuppreſſione maius periculum organismo oriatur.

§. 418.

Inflammationes infinitae in utroque ſtadio tuto ſupprimi poſſunt.

§. 419.

Haec methodus autem in ſecundo ſtadio tum potiſſimum adhibenda eſt, cum e formatione proventus maius organismo periculum oritur, quam e ſuppreſſione eius.

2. *Altera indicatio: decurſus inflammationis dirigendus eſt.*

§. 420.

Si non licet extinguere inflammationem in ſtadio ſecundo, methodus antiphlogiſtica primi ſtadii deſerenda et ſecunda indicatio ſeu regula ſequenda eſt, nimirum decurſus inflammationis ita dirigendus eſt, ut formatio novi proventus rite abſolvatur.

§. 421.

In dirigendo decurſu inflammationis per ſtadium ſecundum eadem obſervanda ſunt, quae in primo ſtadio ratione temporis, loci, gradus ſymptomatum, complicationum, conſtitutionis corporis et rerum externarum §. 402—412. praecepta ſunt.

§. 422.

Methodus medendi ſecundum hanc regulam, a methodo primi ſtadii, nimirum ſi inflammatio ſupprimi non potuit, prorſus non differt, hac tamen cautione utplurimum addita: ut omnia ſedulo evitentur, quae proventus novi generationem con-

turbant aut interrumpunt, potiſſimum nimius frigoris uſus.

§. 423.

Haec indicatio non niſi tum locum habet, cum inflammatio a iuſto decurſu deflectitur, ſin minus decurſus non turbandus eſt.

3. *Tertia indicatio: vires organismi ſuſtentandae ſunt.*

§. 424.

Cum in ſecundo ſtadio proventus ſive fructus inflammationis ad maturitatem perducendus ſit, viresque organismi primi ſtadii affectionibus non raro iam imminutae ſint, magisque adhuc ſecundo ſtadio exhauriantur: tertia medendi regula praecipit, vires organismi eſſe ſuſtentendas, ut proventus ad maturitatem perduci poſſit.

§. 425.

Hoc fieri poteſt duplici ratione, tum negative, ſublata methodo antiphlogiſtica debilitante; tum poſitive, adhibita methodo excitante, roborante aut nutriente.

§. 426.

Adhibenda eſt autem haec regula non niſi tum, cum organismi vires ad abſolvendum hoc ſtadium non ſufficiunt, artisque auxilio revera indigent. Saepius enim eo prorſus carere poterunt.

### 4. *Quarta indicatio: proventuum cura habenda eſt.*

§. 427.

Primaria huius ſtadii indicatio ſeu regula therapeutica quarta eſt, quae proventuum ab inflammatione gignendorum curam exactam habere iubet; cum per illorum formationem criſis iuſta praeparetur, et inflammatio ad fauſtum exitum perducatur.

§. 428.

Cum natura in formando inflammationis proventu varie a iuſto tramite deflectere poſſit, varia quoque ratione artis auxilio corrigenda eſt. Proventus nimirum ab inflammatione gignendus, ab arte vel adiuvandus, vel coërcendus, vel immutandus, vel interrumpendus, vel denique expellendus eſt.

§. 429.

a) Adiuvanda eſt proventus inflammationis maturatio, ſi ob virium totius organiſmi aut partis inflammatae imbecillitatem, vel alia de cauſa, ad perfectionem iuſtam pervenire non poteſt, aut nimis ſero abſolvitur, et inde variae abnormitates et pericula ſaluti organiſmi oriuntur; v. c. ſi variolae aut miliaris ad perfectionem iuſtam in ſtatu eruptionis et ſuppurationis non perveniunt.

§. 430.

Adiuvatur autem iſta proventus formatio variis, pro diverſitate cauſarum, methodis; utplurimum remediis excitantibus, raro deprimentibus.

§. 431.

§. 431.

b) Coërcenda eſt novae materiae formatio tum, cum vel gradu excedit et nimiam eam gignit, vel locum, quo abſolvi debet, deſerere et ad alias nobiliores partes migrare conatur, quo fit, ut periclitetur ſalus organismi.

§. 432.

Methodi, per quas abnormis iſta formatio coërceri poteſt, ſunt vel deprimentes, vel excitantes, vel antagoniſticae, vel aliae pro re nata.

§. 433.

c) Immutandus eſt naſcens inflammationis proventus, ſi ratione quantitatis aut qualitatis ad peiorem indolem tendit; v. c. ſanies in pus.

§. 434.

Efficitur autem haec immutatio vel methodo quantitativa vel qualitativa, pro ratione abnormitatis, cui convenienter remedia eligenda et adhibenda ſunt.

§. 435.

d) Interrumpenda autem eſt formatio novae materiae, ſive quod idem eſt proventus, tum, cum ex eius interruptione vel ſuppreſſione minus malum, aut periculum organismo naſcitur, quam ex eius perfecta conſummatione.

§. 436.

Interrumpitur novae materiae formatio methodo antiphlogiſtica primi ſtadii; aut methodis, quibus proventus prorſus exterminatur. Cfr. ſtadium tertium.

§. 437.

e) Expellendus denique interdum eſt proventus inflammationis jam in ſtadio ſecundo, ſi ſaluti organismi periculum minitatur; v. c. ſcirrhus.

§. 438.

Methodi, quibus expulſio iſta fieri poteſt, ſunt vel mechanicae, vel chemicae, vel dynamicae; de quibus in expoſitione medelae tertii ſtadii diſſeritur.

§. 439.

Saepenumero, ſi formatio proventus rite progreditur, artis auxilium plane non neceſſarium eſt.

### III. *Medela et indicationes therapeuticae ſtadii tertii.*

§. 440.

Cum inflammationis proventus organismo ſemper moleſti ſint, eiusque functiones magis minusve turbent, patet, in tertio ſtadio, quo natura eos excernere nititur, artis officium eſſe, eam in hoc negotio, quantum fieri poteſt, adiuvare.

§. 441.

Regulae vero medendi primariae tertii ſtadii duae ſunt. Nimirum

*prima:* tuenda eſt criſis a natura abſolvenda;

*ſecunda:* criſis ab arte perficienda eſt, ſi naturae vires non ſufficiunt.

### 1. *Prima indicatio: tuenda eſt criſis, a natura abſolvenda.*

§. 442.

In tuendo naturae negotio abſolvendae criſeos, cavendum eſt, ne criſis imperfecta ſit; neve interrumpatur; neve demum in alias organismi partes fiat.

§. 443.

a) Ne criſis imperfecta ſit, i. e. ne pars proventus remaneat, variaque inde organismo incommoda oriantur, potiſſimum ſecundi ſtadii cura providendum eſt, in hoc enim criſis iuſta praeparatur. Caeterum iisdem methodis et remediis criſeos perfectae conſummatio nititur, quibus in ſecundo ſtadio praeparata fuit.

§. 444.

b) Ne criſis interrumpatur tum negative, tum poſitive caveri poteſt; illud arcendis atque evitandis omnibus iis, quae organismi vires debilitant, et organa excretoria praecludunt; hoc adhibitis iis, quae vires organismi ſuſtentant, et functiones potiſſimum excretorias adiuvant.

§. 445.

c) Ne materiae ab inflammatione genitae per criſin irregulari modo in alias organismi partes proiiciantur, novaeque inde abnormitates naſcantur, varia medela opus eſt. Partim fulciendae ſunt vires organismi in univerſum; partim organi ſeu partis affectae in ſpecie; partim methodo antagoni-

ſtica, derivante etc. criſis in loco et parte, qua par eſt, continenda eſt.

2. *Indicatio ſecunda: criſis ab arte perficienda eſt.*

§. 446.

Si natura materiam ab inflammatione genitam extra organismi ſphaeram proiicere non poteſt; et ſi illa ipſi nimis moleſta eſt, aut functiones eius ita conturbat, ut ſalvus eſſe nequeat, arte amovenda et exterminanda eſt.

§. 447.

Ad perficiendum amotionis negotium triplex via datur, qua ars inſiſtere poteſt; nimirum mechanica, chemica, dynamica.

§. 448.

a) Mechanica ratione medela fieri poteſt ita, ut materia abnormis, eaque moleſta manu vel inſtrumentis dematur vel emittatur; v. c. exoſtoſis, pus.

§. 449.

b) Chemico modo auxilium fertur, ſi remediis cauſticis, ferro candente, et ſimilibus materiae abnormes deſtruuntur et amoventur.

§. 450.

c) Dynamice tandem proventus inflammationis excretionem ars perficere poteſt, vel in ipſa parte inflammata, vel per organa excretoria communia, vel aperiendis novis organis excretoriis.

§. 451.

α) In parte inflammata excretio, dynamica ratione, artis auxilio perfici poteſt, ſi functiones eius ita excitantur et immutantur, ut materia abnormis eiiciatur.

§. 452.

β) Per organa excretoria communia excretio ab arte inſtituitur, ſi remediis idoneis reſorptio proventus inflammationis in parte inflammata efficitur; quo fit, ut redux in ſanguinem per organa excretoria, v. c. renes, cutem, eiiciatur.

§. 453.

γ) Nova organa excretoria ad excernendam illam materiam abnormem artis miniſterio tum fieri expedit, cum alia ratione excretio fieri nequit. Eiusmodi organa excretoria ab arte facta ſunt ulcera artificialia, vario modo effecta.

§. 454.

Caeterum in adminiſtrando artis auxilio haec cautio tenenda eſt. Ad mechanicam et chemicam auxiliandi methodum non niſi tum confugiendum, cum dynamica nihil, aut cum maiori organismi iactura, effici poſſit.

§. 455.

Poſtremo, cum abſoluta potiſſimum univerſali inflammatione fere ſemper vel localis vel univerſalis debilitas per aliquod tempus remaneat; organismus finito ſtadio tertio per aliquod tempus ab omni affectione deprimente defendendus et interdum regimine vitae roborante curandus eſt.

## COROLLARIA QUAEDAM.

### *Corollarium primum.*

Si vera ſunt, quae de ambitu inflammationis expoſuimus; ſi non modo morbi inflammatorii, a vetuſtis inde temporibus ſic dicti, verum etiam febres omnes, cuiuscunque fuerint generis; ſi proventus varii inflammationum, qui numeroſam morborum claſſem conſtituunt, aut morborum aliorum cauſae ſunt; ſi omnes, inquam, iſtae abnormitates inflammationibus adnumerandae ſunt: apparet, omnes fere corporis humani morbos, exceptis paucis, ex aſthenia oriundis et mere ſpaſticis, huic claſſi adnumerandos eſſe. Quodſi non modo generatio novi organismi, ad ſimilitudinem inflammationis, ſed etiam nutritio eius in utero materno ad leges eius fieri ſolet; ſi lactatio, dentitiones nec non evolutiones eius iisdem legibus adſtringuntur; affectionibusque inflammatoriis ſtipantur: nullum profecto phaenomenon in organismo humano maioris eſt momenti quam inflammationis; nulla doctrina pathologiae maiori dignitate pollet, quam doctrina de inflammatione; nulli tandem morbi medelae medicae ſaepius ſeſe offerent, quam inflammatorii. Quae cum ita ſint, nihil ſanctius, nihilque prius habeat medicus medendo operam

navans, quam ut deferat praepofteram et funeftam illam opinionem: *plurimos morborum ex afthenia oriri, ftatimque ab initio methodo excitante curandos effe!*

*Corollarium fecundum.*

Si vera funt, quae de natura inflammationis differuimus, non diagnofis folum et prognofis febrium longe facilior et certior, verum etiam medela felicior et accuratior erit. Etenim in diagnofi facienda non diutius, vagis febrium nominibus et variis appellationibus decepti; neque ignari febrem qualemcunque non nifi fymptomatum congregationem effe, quae per fe non magis quam dolor morbi naturam conftituat, verum morbi modo praefentiam indicet: ftimulum latentem inflammatorium, febrilium fymptomatum caufam, diligentius indagabimus, morbique naturam non e vagis incertisque fymptomatibus, fed e legibus, quas inflammationis proceffus in organismo fequitur, diiudicabimus. Quo facto non modo prognofis firmiori bafi fuperftrui, verum etiam medela fecundum regulas certiores, morbique naturae, progrediente decurfu immutandae, adaequari aptarique poterit. Diligenter potiffimum habita ratione ftadiorum, iisque congruentis medelae; exactaque diftinctione diverfarum methodorum antiphlogifticarum, earumque adminiftratione, pro diverfitate indolis et naturae inflammationis, curatio febrium ad tantum perfectionis gradum evehi poffe videtur, quantus pro cognitionis humanae imbecillitate obtineri poteft. Hoc tramite infiftens eos quoque morbos

ars medica fanare poterit, qui hucusque approbrium eius et infanabiles habiti funt. Verum enimvero imminet iam dies, quo et typhus et peftis, et febris flava; et hydrophobia artis viribus domari et debellari poterunt.

### *Corollarium tertium.*

Doctrina de inflammatione, fi experientia confirmatur, theoriae contagiorum morborumque contagioforum, eorumque medelae lucem clariffimam et exoptatiffimam affundit. Jam disparet funefta illa notionis morbi contagiofi ambiguitas; iam patet, omnes inflammationes contagium generare; et per contagium transplantari poffe. Intelligitur vero etiam fummam effe energiae contagiorum agendique modi diverfitatem. Inficit vulnus fimplex fuppurans; inficit vero et peftis; illud gignenda fuppuratione; haec generanda pefte in alio organismo; illud non nifi fi pus in vulnus inferitur, haec per inhalationem atmofphaerae aegroti. Inficit coryza, inficit blennorrhagia; inficit febris tertiana, inficit typhus; inficit phthifis, inficit hydrophobia; omnis inflammatio inficit, verum quaeque peculiari modo; haec per contactum, illa in diftans; haec per lympham, illa per exhalationem; haec per infitionem immediatam, illa per fomitem, favente fcilicet opportunitate. Quare falluntur, qui ita ratiocinantur: in hoc vel illo cafu, inflammatio haec vel illa contagio non propagata eft ad alios, ergo non eft per contagiofum. Contagiorum praetera energiae et efficacitatis ab infimo ad fummum gradum continua eft gradatio.

Quodſi quaevis inflammatio qualitativa peculiari contagio naſcitur, et hoc contagium ſemper rurſus per proceſſum organicum generatur et excernitur: intelligitur, cur morbi ſic dicti contagioſi inficiant, et quibus potiſſimum ſtadiis.

Si inflammationes qualitativae univerſales univerſum ſyſtema ſanguiferum, et nervoſum eadem contagii affectione inficiunt, qua ortae ſunt, facilius intelligitur, cur univerſa humorum organismi copia contagio mutata ſit, nervorumque ſyſtema ab eodem contagio, univerſalis inflammationis cauſa, non niſi rariſſime iterum affici poſſit.

Medela vero morborum contagioſorum hac theoria tam firma munitur baſi, ut horum morborum prognoſis nunc fauſtiſſima iudicari poſſit, quae hucusque funeſtiſſima fuit. Etenim nullus dubito affirmare: omnes fere inflammationes univerſales, v. c. peſtem, febrem flavam, typhum, ſcarlatinam, variolas, tetanum, hydrophobiam etc. remediis antiphlogiſticis idoneis, ſtatim ab initio audaci manu adminiſtratis, extingui poſſe.

## *Corollarium quartum.*

Si exanthemata omnia inflammationis legibus tenentur, tribusque ſtadiis decurrunt: eorum curatio medica ex hac theoria optimas easque aptiſſimas regulas haurire poteſt. Ipſique typhi contagioſi curationi, ſi exanthematibus adnumerandus eſt; non niſi ex hac theoria, qua ſecundum inflammationis leges decurrit, iisque convenienter ſanandus eſt, ſalus expectanda eſſe videtur. Antiquanda igitur eſt prorſus praepoſtera illa conſuetudo, — a

medicis peritiſſimis iure improbata, — quae morbos exanthematicos ſtatim ab initio methodo excitante curat. Hinc illae lacrimae! Hinc maligni eorum decurſus! Hinc morbi peiores ſecundarii! Hinc hydropes funeſti, exulcerationes foedae, phthiſes, gangraena, caries et tota iſta cohors morborum, quae exanthemata acuta ſequi ſolet.

## *Corollarium quintum.*

Quanta quaeſo, et quam memorabilis diverſitas methodorum et remediorum antiphlogiſticorum! Quantopere invicem ſibi oppoſita, in diverſis ſtadiis, et quam ſimilia rurſus! Quam diligenter attendenda in curatione inflammationum! Quanta et quam multa damna exinde oriuntur, ſi promiſcue abhibentur. Verum quidem eſt, naturam interdum tam flexibilem eſſe, ut diverſis, quid? quod oppoſitis methodis ad eundem ſcopum ducatur, artisque errores miti corrigat manu. At non raro acerbis coërcet poenis temerarias legum ſuarum violationes. Quot funeſtos vidi effectus epithematum excitantium humidorum, licet tepidorum, in primo ſtadio inflammationis eryſipelatoſae! Exulcerationes, abſceſſus fiſtuloſos, herpetes pertinaciſſimos et canceraticos, cariem, gangraenam, ſenſuum iacturam, faciem foede exeſam, febres periculoſiſſimas, et ipſam mortem!

Quae cum ita ſint, neſcio an ipſa inflammationum hucusque ſic dictarum curatio non parum lucis ex iſta hauriat theoria, cuius primas lineas in antecedentibus deſcripſi. —

Primaria remedia antiphlogiſtica ſunt haec quinque: Frigus, venaeſectio, arſenicum, hydrargyrum et narcotica.

## *Corollarium ſextum.*

Confirmatur per hanc theoriam discrimen, quod inter varia remedia tum excitantia, tum deprimentia intercedit, et refutatur opinio, quae iis promiſcue utitur. Quodlibet enim medicamen non ſolum peculiari modo, ſed etiam in hanc vel illam potiſſimum organismi partem aut ſyſtema agit; hoc in plures, illud in pauciores; hoc in nervos, illud in muſculos; aliud in vaſa ſanguifera, aliud in vaſa lymphatica. Sunt qui omnia fere ſyſtemata excitent, ſunt qui, dum nervoſum ſyſtema excitant, ſanguiferum deprimant. In hoc artis medicae cardo vertitur, ut quolibet rite et apte utatur. Verum quam maxime manca adhuc haec medicinae pars ſit, quae rationes, quibus medicamina in corpus agat, ex obſervationibus naturae petitis explicare ſtudeat, inter omnes conſtat.

## *Corollarium ſeptimum.*

Si morbi inflammatorii, iisque adnumerandae febres, per definita ſtadia decurrunt; iſtaque ſtadia peculiaribus quaequae ſymptomatibus conſpicua ſunt, patet: in deſcribendis febribus morbisque inflammatoriis in genere, non ſufficere ſymptomatum variorum enumerationem licet curatiſſimam, quippe quae non niſi confuſam, eandemque incertam mor-

bi imaginem exhibet; fed in omni inflammationum et febrium, earumque decurfus et fymptomatum defcriptione, exactam et diligentem ftadiorum rationem habendam effe. Verum enimvero tum demum, cum fymptomata ftadio cuilibet peculiaria, a fymptomatibus aliorum ftadiorum, exacte a medicis dignofcentur, defcriptiones febrium juftam earum imaginem referent, et ad cognofcendam earum naturam quam plurimum facient. Tum demum tempus, per quod quaelibet periodus cuiusvis febris decurrit, cognofcemus; tum demum medela febrium rite praefcribi et diiudicari poterit; tum demum ipfa haec theoria firmiffimis argumentis, e rerum experientia petitis fulcietur.

*Corollarium octavum.*

Si omnis inflammatio ad generandas in ftadio fecundo novas materias, easque abnormes, organismo moleftas, ideoque excernendas tendit: in examinandis, curandis, defcribendisque inflammationibus, eo magis ad eas refpiciamus neceffe eft, quo minus ad eas hucusque attenti fuimus. Si inflammatio membranae mucofae mucum, ferofae lympham, fibrae pus generat; fi angina membranacea lympham coagulabilem; febris puerperarum materiam lacti fimilem; arthritis maffam calcariam gignit: febris quoque intermittens, nervofa, flava, typhus, rheumatismus ceteraeque febres materias peculiares gignent; dummodo attento oculo inveftigentur, exacta periodorum habita ratione. Quae vero fi neglecta fuit, non mirum eft, eos, qui cadavera aperirent eorum, qui morbis inflammatoriis

morerentur, v. c. febre puerperarum, materias genitas non inveniſſe, quippe cum illi in primo ſtadio mortui eſſent.

Verum cum non omnes illae materiae, licet adſint, oculo aut tactu animadverti poſſint; ſed interdum odore modo ſeſe prodant; interdum per effectus, quos exſerunt, vimque et energiam, quam in aliis organismis oſtendunt, dignoſci poſſint; organismo vero ſemper moleſtae, eamque ob cauſam excernendae ſint, apparet, quantum interſit medici, illas noſſe, viam qua excernuntur cognitam habere, et in curandis his morbis, quantum quidem fieri poteſt, naturam non turbare, ſed adiuvare. — Quot funeſtos effectus oppoſitae agendi rationes habuerint, experientia quotidiana attentum ſpectatorem docet.

## *Corollarium nonum.*

Si in diverſis periodis natura morbi inflammatorii tantopere mutatur, ut, quae in primo adfuerint ſigna, in ſecundo prorſus dispareant, et materiae, quam in ſecundo perfectam formatamque videmus, ne veſtigium quidem in primo adſit: intelligitur, quam diligenter in omni ſectione eorum, qui morbis inflammatoriis mortui ſunt, ad huius theoriae enunciationes attendendum ſit.

Quam parum vero hoc hucusque factum ſit, inter omnes conſtat. Quare non mirum eſt, medicum, qui nervos inflammatos diſſectos, cum nervis diſſectis eorum compararet, qui typho mortui erant, tantam eorum indolis diverſitatem reperiſſe, ut argumentum inde peteret, ad probandam ſenten-

tiam, typhum non eſſe morbum inflammatorium, ſed ita ab inflammatione differre, ut ille e diſſolutione, haec vero e condenſatione nervorum oriatur, Verum in duobus vir doctus erraſſe videtur, nimirum partim in obſervando, partim in concludendo. In illo, cum compararet nervum inflammatum in primo ſtadio, cum nervo inflammato in ſecundo ſtadio; in hoc dum id, quod effectus inflammationis et typhi eſſet, nimirum condenſationem et diſſolutionem nervi, pro cauſa eorum haberet. Omnis quippe inflammatio in primo ſtadio, propter ſanguinis humorumque accumulationem non poteſt non condenſationem quandam producere.

In aperiendis autem iis, qui inflammatione mortui ſunt, exacte ſequentia attendenda et obſervanda, et in deſcriptionibus relationibusque publicis notanda ſunt:

*Primum*, quaenam fuerit inflammationis natura; utrum quantitativa an qualitativa; utrum ſyſtematis an organi; utrum localis an univerſalis; quibusnam cauſis orta; qua vehementia, complicatione, et decurſu conſpicua.

*Secundum*, quo ſtadio et quo ſtadii die mortuus ſit inflammatione aegrotus; Hoc non raro admodum difficile, potiſſimum ſi medicus ab initio morbi non adfuit, verum quam maxime neceſſarium eſt.

*Tertium*, ſi in primo ſtadio mortuus eſt, ſymptomata inflammatoria cum in univerſum, tum in ſpecie diligenter indaganda ſunt. Nimirum non modo ad partem et ſyſtemata primaria inflammatione correpta attendendum eſt, ſed etiam ad partes, ſecundario, per ſympathiam et conſenſum affectas,

habita ſemper ratione ſignorum morbi partiumque adfectarum, dum viveret adhuc organismus.

*Quartum*, ſi in ſecundo aut tertio ſtadio mortuus fuerat aegrotus, potiſſimum ad proventus inflammationis reſpiciendum eſt, materias quippe novas, abnormes ab inflammatione genitas, in iis nimirum imprimis organis et partibus, quae inflammatione correptae erant; neque vero negligendae ſunt aliae partes, in quas proventus per metaſtaſin excretus eſſe poteſt. Simul reſpiciendum erit ad ſigna priori ſtadio peculiaria, nunc prorſus ſublata aut immutata.

Tum demum, cum relationes de ſectionibus hoc modo conformatae erunt, ſperare licet, fore, ut mox penitiorem naturae inflammationum cognitionem adipiſcamur.

### *Corollarium decimum.*

Quamquam negari non poteſt ſtadium illud, quod ab aliis prodromorum ab aliis infectionis dicitur, in nonnullis inflammationibus animadverti poſſe; et ſtadium convaleſcentiae interdum curae medicae indigere: patet tamen ex iis, quae de inflammationum decurſu expoſuimus, haec duo ſtadia ſtadiis decurſus morbi proprie adnumerari non poſſe; quoniam ad morbi naturam conſtituendam nihil omnino faciunt, et ſalva eius natura abeſſe poſſunt et ſaepenumero abſunt.

Quod ad ſtadium infectionis attinet, inficias ire haud licet, ſtimulum inflammationis cuiusdam interdum per aliquod tempus in organismo adeſſe poſſe, immo nonnunquam adeſſe debere, antequam inflammationem excitet; Rheumaticus v. c. ſtimu-

lus per longum tempus in organismo latere poteſt, antequam vim ſuam exſerat; quod, ſi data occaſione, factum eſt, et inflammatio modo incepta, verum non abſoluta, ſed extincta, proventusque non excretus fuit: ſtimulus per aliquod tempus, brevius aut longius, quiete in organismo latebit, ita ut eius praeſentia vix, ac ne vix quidem animadverti queat, favente vero opportunitate rurſus aget. Hoc valet de pluribus inflammationum ſtimulis; ſuntque inflammationes, quae quidem initium minitentur, raro vero ita exardeſcant, ut decurſu regulari per tria ſtadia abſolvantur. Multae praeterea inflammationes eiusmodi prodromis, aut ſtadio infectionis prorſus non inſigniuntur, ſed accedente ſtimulo, et opportunitate favente, ſtatim oriuntur. Multae etiam, licet ſtimulus revera adfuerit, et per aliquod tempus in organismo latuerit, nihilominus tamen non oriuntur; natura nimirum, vi ſibi innata, ſtimuli vim ſuſtulit et deſtruxit. Stadium igitur infectionis ſ. prodromorum ad decurſum inflammationis revera non pertinet.

Quod vero attinet ad convaleſcentiae ſtadium, hoc multo minus ſtadiis morbi adnumerandum eſt: quippe cum non niſi debilitas quaedam ſit, e morbo, organismo reſiduo. Si vero iſta debilitas ita comparata eſt, ut ex illa novi morbi oriantur; v. c. hydrops poſt inflammationem ſcarlatinam; iſti morbi ſunt morbi ſecundarii, peculiari decurſu inſignes, ad inflammationes vero prorſus non pertinent.

Quae cum ita ſint ſtadia illa duo, infectionis nimirum ſ. prodromorum et convaleſcentiae ad decurſum inflammationis pertinere non videntur.

*Corol-*

*Corollarium undecimum.*

Diſtinximus in diſſertatione antecedente contagium a miasmate. Iam cum hae notiones multum ambigui habeant, neque hucusque ſatis definitae ſint, et cum notione veneni non raro confundantur: paucis exponendum erit, quaenam differentia inter contagium, miasma et venenum, intercedat.

Eſt autem, e noſtra quidem ſententia, *Contagium* materia quaecunque, per inflammationem in organismo animali genita, quae per dynamicam affectionem in alio organismo ſimilem inflammationem et functionum eius abnormitatem gignit.

Mechanicae et chemicae inflammationum cauſae contagiis non adnumerantur.

*Miasma* autem dicitur materia quaecunque in atmoſphaera per ſolutionem corporum organicorum genita, qua in organismo per dynamicam affectionem inflammatio aut functionum eius conturbatio efficitur.

Cum fermentatio putrida et diſſolutiones corporum organicorum per putredinem non niſi atmoſphaerae contactu fieri poteſt, miasma in atmoſphaera gigni iure dicitur.

*Veneni* denique nomine inſignitur materia quaecunque, in organismo vigente animali et vegetabili, nec non in mineris genita, quae per dynamicam affectionem in organismo inflammationem excitat, aut functiones eius conturbat.

Patet, materias, quae mechanice organismum funeſte afficiunt, v. c. vitrum in pulverem ſubti-

lissimum redactum; et eas, quae chemice eum destruunt, v. c. caustica, ignis etc. venenis adnumerari non posse.

*Similitudo* autem inter has diversas materias intercedit:

*Primum,* ratione formae. Quaelibet nimirum harum trium materiarum, contagium, miasma et venenum aut solida, aut fluida esse potest, aut gasiformis, aut imponderabilis.

*Secundum*, ratione effectus. Quaelibet favente nimirum opportunitate organismum ita afficit, ut inflammationem aut aliam functionem eius turbationem excitet.

*Denique*, ratione modi, quo agunt. Quaelibet enim non nisi tum, cum dynamice organismum afficit, nomine contagii, miasmatis et veneni insigniri potest.

*Differentia* vero, quae inter eas intercedit, cernitur haec:

*Primum*, ratione originis. Contagium enim non nisi in organismo humano et animali, abnormiter immutato, inflammatione nimirum gignitur.

Miasma non nisi in atmosphaera ex iis nimirum particulis organicis oritur, quae putridine solvuntur aut solutae fuerant.

Venenum denique neque per inflammationem neque per putridinem, sed in organismis vigentibus et mineris nascitur.

Caeterum apparet notionem veneni ſenſu latiori hic definitam eſſe, quae, ſi ſenſu ſtrictiori definitur, ita concipienda eſt, ut definitioni, ſupra exhibitae, non niſi haec verba addantur: *licet refracta doſi, vel minima quantitate in organismum ingerantur.*

*Secundum*, ratione proventus (*des Productes*) ſive regenerationis. Nimirum contagium per inflammationem in organismo regeneratur, et ſe ipſum quaſi propagat. Hoc vero neque de miasmate, neque de veneno valet.

Quae cum ita ſint, natura bene valens: *venenum;* natura aegrotans: *contagium;* natura putreſcens: *miasma* generat, ſuntque haec tria inter ſe coniuncta: vita et venenum; morbus et contagium; mors et miasma.

## EMENDANDA.

Pag. 8. lin. 9. pro qualitativae quae, lege *qualitativae quaedam, quae*

— 24. — 20. pro ſympathicum l. *ſympathiam.*

— 42. — 22. deleatur vox: *medicamina.*

— 47. — 17. pro opus l. *opus eſt.*

— 65. — 20. deleatur vox: *univerſam.*